juges, diximus hoc 6. l. tota disp. 14. Sic *Matienzo alleg. n. præced. & Barbosa allegatus n. 3. fine.*

6 Ad arg. contrariæ tent. propositæ n. 3. resp. Ad 1. dic, licet subsit eadem ratio amissi pudoris, ex alia parte esse differentem rationem. Quia omni jure prohibetur donatio inter conjuges, & *l. Tauri*, tantum corrigit jus antiquum, quando sponsalitia largitas donatur inter sponsos de præsenti, ante copulam. Alias simili ratione probaretur valere post Ecclesiæ benedictiones, & copulam. Ad 2. dic bene probare intentum, si *lex 52. Tauri*, tantum diceret valere eam donationem inter sponsos: at expresse dicit, *de lo que la dado antes de consumido el matrimonio*. Ad 3. neganda consequentia, quia alia ratione prohibita est ea donatio post consummatum matr.

7 In II. casu, quando nondum consummato matr. mittit sponsus nuntio jocalia sponsæ, & ante nuncii accessum, & donationis acceptationem, consummatur matr. breviter dicendum est, si erat nuntius ipsius sponsi, minime valere. Quia donatio perficitur sponsa acceptante: (ut dixi l. 1. disp. 6. n. 2. & 3.) tunc autem est tempus inhabile, cum jam sit consummatum matr. Si vero sit nuntius sponsæ, dicendum est valere. Quia ex eo tempore quo nuntius nomine sponsæ acceptavit, adquisita fuit donatio sponsæ: tunc autem tempus habile erat. Sic habetur expresse *l. Si sponsus, in princ. ff. de don. inter vir. & uxor.* Docentque *Jo: Lup. l. 52. Tauri, n. 14. & ibi Castillo n. 13. & 14.* Intelligo autem, quando fuit nuntius destinatus ab ipsa ad accipiendum jocalia. Quod optime dicit *gl. d. l. si sponsus, verb. Eum*, dicens *eum, scilicet, procuratorem ad recipiendum donum*. Quia aliter non absenti sponsæ stipulari potest, (ut dixi l. 1. disp. 7. n. 20.) nisi sit persona cui ea donatio traditur, quæ absenti stipulari possit: juxta tradita ea d. 7. n. 4. & seq. Nec audiendi sunt *Matienzo l. 5. recop. t. 2. l. 4. gl. 4. n. 4. Gut. 3. pract. q. 44. n. 8.* asserentes etiam, quando fuit sponsi nuntius, valuisse statim donationem per *l. 2. tit. 16. l. 5. recop. Castellæ*, per quam ut donatio valeat, & irrevocabilis fiat, non requiritur acceptatio donatarii. Sed hoc reprobavi lib. 1. disp. 6. num. 19.

8 In III. casu, an donata tempore nuptialium benedictionum, nondum tamen consummato matr. lucretur sponsa per copulam subsecutam, & mediatetem per osculum? Negant aliqui, dicentes, ea restituenda esse sponso, vel ejus hæredibus. 1. quia de proximo benedicenda, vel copulanda, pro benedicta, vel copulata habetur. Ut late tradit *Jos. auth. Si quæ mulier a. n. 23. C. de sacros. Eccles.* ubi explicat quomodo proxime accingendus pro accincto habeatur. 2. Quia certum est, ea dona minime tradenda esse, si benedictiones non statim essent recipiendæ: atque ita non animo donandi tradita videntur, sed ut sponsa ornatior appareat. Sic tenet, licet aliquantulum dubitans, *Greg. Lop. l. 23. ad fi. t. 11. n. 4.* & docent *Azeb. l. 5. recop. tit. 2. l. 4. n. 27. & q. 2. Gut. 4. pract. q. 19. n. 1.*

9 Sed dicendum est, acquiri sponsæ per osculum, quoad mediatetem, & per copulam, integre. Quia *l. 52. Tauri*, nulla fit distinctio temporis quo sponsalitia largitas donatur, si sponsi sint benedicti, vel proxime benedicendi, sed tantum adnetur ante, vel post consummatum matr. præterea, quia adhuc sunt sponsi; & lex illa de donatis per sponsos loquitur; qualitas autem adjuncta verbo, debet regulari secundum tempus verbi, *in Deliktis, §. Si extraneus, ff. de noxal.* ergo cum illa vere sint donata per sponsos, in illis servandum erit, quod ea lex disponit. Sic docent *Ant. Gom. 52. Tauri, nu. 5. Avendanno de exequend. mandat. l. 1. c. 15. n. 5. Matienzo l. 5. recop. t. 2. l. 4. gl. 6. n. 4. Gut. allegat. 11. n. 7.*

10 Dubitabis autem, quid dicendum sit de annulo dato sponsæ in Ecclesia, qui tunc benedicitur, an fiat sponsæ, si maritum nondum est consummatum? *Bald. auth. Ex testamento, n. 8. C. de collat.* ait fieri sponsæ. Sed credo nisi antea donatus esset, minime fieri sponsæ. Quia minime centetur donatus, sed ad servandum ritum Ecclesiæ, qui habet ut tunc tradatur annulus benedicendus. Sic *Castillo l. 52. Tauri fin.*

11 Ad arg. contraria proposita n. 8. respondetur. Ad 1. dic, quamvis moraliter videantur facta post benedictiones, quæ proxime sunt; at habemus jam aliunde jure communi explicatum, ut intelligatur in toto rigore Metaphysico: ut constat ex *l. Inter conf. de don. inter vir. & ux.* ubi decernitur, valere donationem inter eos qui matr. juncti sunt, factam ante nuptias, licet eodem die nuptiæ sequantur. Ad 1. dic minime præsumi dari, ut ornatior appareat, sed nomine sponsalitiæ largitatis; cum enim animus contrarius minime manifestetur, standum est legum interpretationi.

DISPUTATIO XXIV.

Utrum donatio sponsalitiæ largitatis possit in quacumque quantitate fieri?

SUMMARIUM.

Non potest in regno Castellæ excedere octavam dotis partem sponsæ, licet sit communis taxa præsumia non esset. n. 1. Et sibi, nemiliove, an possit dari ultra decimam bonorum sponsi partem. Et quid, si fieret ante sponsalia, ea lege, ut nunquam rediret ad donantem, n. 2.

Quid, si dos magna promittatur, sitne tamen, vel promissa non integre tradatur, vel solvatur matrimonium ante dotem promissam solutam, n. 3.

An si dos postea evincatur, diminuenda sit sponsalitia largitas. Et quando excedit octavam partem dotis, an in totum vitietur. Et an excessus ille firmetur juramento. Et an sit nullus in foro conscientiæ. Et an valeat excessus, quando datur ab alio, quam a sponso? Et qualiter computandus sit valor dotis, quando sponsa affert majoratum in dotem. Et an extrahenda sit de quinta bonorum parte, in Castella, si sponsus habeat descendentes, vel de tertia, si habeat ascendentes. Et an filusfamilias, vel minor possint donare hanc sponsalitiam largitatem, remissive, 4.

An hæc lex iuges forenses, vel regnicolas, si habeant bona extra regnum, vel si regnicola sit extra regnum, vel si puella nostri regni nubat extero, 5.

An donatio sponsalitiæ largitatis invalida sit, quando sponsa nullam dotem affert. Et qualiter si, tunc taxanda, 6.

PRima conclusio. Quamvis jure communi nulla sit præfinita taxa sponsalitiæ largitatis donationi: at in regno Castellæ excedere nequit octavam dotis sponsæ partem. Habetur expresse *l. 1. fin. tit. 2. l. 5. recop. Castellæ*. Utrum autem in eodem regno nequeat excedere decimam bonorum sponsi partem? dicam disp. seq. n. 31. 1

Intellige 1. conclusionem, nisi talis donatio fieret ante sponsalia, hac lege, ut nullo casu reveteretur ad donantem: tunc enim posset excedere, cum non sit sponsalitia largitas, de qua ea lex loquitur: nec est prohibita, cum non sit donatio inter conjuges, nec referatur in tempus contracti matr. Sic *Avendanno de exequend. mandat. 1. p. cap. 15. n. 1.* 2

2. Intellige, ut sit octava pars dotis vere receptæ, secus si fide magna dos promittatur, vel promissa non integre tradatur. Constat ex illis verbis *d. l. 1. t. 2. l. 5. recop. mas de lo que montare la octava parte de la dote que con ella recibiere*. Sic *Avendanno d. c. 15. n. 2. Mat. l. 5. recop. t. 2. l. 1. gl. 6. num. 3. & 4.* Addit autem *Avendanno eo. n. 2.* necessarium esse vere receptam esse dotem, quare si dote promissa ad certum diem, dissolvatur antea matr. non lucrari sponsam largitatem sponsalitiam. Quia ut valeat, non debet fieri computatio de dote promissa, sed de vere recepta: secus si adveniente solutionis die noluerit sponsus dotem petere, cum possit: tunc enim censetur ac si soluta esset. Sed hoc additum amplectendum non est, & dicendum est valere sponsalitiam largitatem, quamvis dos soluta non sit, quia dies solutioni destinata nondum accessit. Quia quamvis dies nondum venit, cessit tamen *l. Cedere diem, ff. de verb. sign.* Sic *Mat. l. 5. recop. t. 2. l. 1. gl. 6. n. 4.* Et in alio omnino simili tenet *Val. cons. 3. fine, t. 1.* in regno enim Portugaliæ non possunt arrhæ excedere tertiam partem dotis uxoris: & tamen ait, dotem promissam, quando nondum advenit solutionis dies, sufficere, ut fiat dicta computatio. 3

Utrum autem dote postea evicta diminuatur sponsalitia largitas? Et quando octavam dotis partem excedit, in totum vitietur, vel tolus excessus: sitque nullus in foro conscientiæ, sive a sponso, sive ab alio donetur? Et an excessus ille firmetur juramento? Et qualiter computandus sit valor dotis ad hoc, quando sponsa affert majoratum in dotem? Et an in regno Castellæ extrahenda sit sponsalitia largitas de quinta bonorum parte, si sponsus habeat descendentes, vel de tertia, si ascendentes habeat? Et an filusfamilias, vel minor possint largitatem sponsalitiam promittere? De his omnibus statim in tractatu de arrhis disputandum est: de illis enim similes quæstiones agitandæ sunt. 4

II. Concl. Hæc lex minime ligat forenses. Constat ex illis verbis, *ninguno de nuestros reinos*. Sic *Mat. ea l. 1. gl. 5.* At regnicola de bonis extra regnum sitis non potest metas hujus legis excedere. Quia lex obligat personam legislatori subditam. Sic *Pealez de maj. 1. p. q. 58. n. 38. Azeb. l. 5. recop. t. 2. l. 1. n. 28.* Idem dicunt *Pealez ibi, n. 25. & Azeb. n. 28.* si regnicola sit extra regnum. Ducuntur, quia statutum est prohibitivum in persona, & favorabile, ne sponsi mutuo se amore spolient, & ita extenditur ad subditos ubicumque existentes, & bona ubicumque sita. Sed hoc non credo: nam (ut dixi l. 3. disp. 18. n. 18.) abientes a loco, ubi leges obligant, minime illis tenentur. Si autem puella nostri regni nubat extero in hoc regno, non poterit excedi dicta taxa sponsalitiæ largitatis. Ut contra Menchacain per eos citatum defendunt *ibi Pealez, n. 64. & Azebedo, n. 32.* 5

Unicum tamen dubium est hic, an donatio sponsalitiæ largitatis invalida sit, quando sponsa nullam dotem affert: atque ita nil illius lucretur per osculum, aut copulam? Affirmat *Mat. l. 5. recop. t. 2. l. 1. gl. 6. fin.* Ducitur, quia lex illa definit, non posse donare sponsalitiam largitatem ultra octavam dotis sponsæ partem: quare ut hæc donatio valeat, habuit respectum ad sponsæ dotem: ergo ubi nulla est dos, ea donatio non valebit. Sed verius est valere, & lucrari sponsam per osculum mediatetem, & per copulam integre. Quia dicta lex prima non intendit, ut sponsalitia largitas nulla donetur, quando dos nulla data est, sed ut modus, & taxa apponatur sponsalitiæ largitati, & excessui, quando dos data, vel promissa est: ut constat ex illis verbis, *y porque los que se desponsan, suelen dar a sus esposas joyas y vestidos excessivos*: ergo etiamsi nulla dos promissa fit, non intelligitur prohibita sponsalitia largitas. Sic *Avendanno de exeq. mandat. p. 1. c. 15. n. 2. vers. Tertia conclusio, & n. 3. vers. Quarta concl. Azebedo lib. 5. recop. tit. 2. l. 4. n. 15.* Quod si roges, quæ taxa sit tunc accipiendi? *Mat. ea gl. 6. fine*, optime dicit juxta hanc sententiam taxandam esse sponsalitiam largitatem arbitrio boni viri.

DISPUTATIO XXV.

An vestes, & reliqua, quæ mittit sponsus sponsæ, censeantur sponsalitia largitas, & acquirantur integra, consummato matrimonio, & nondum consummato, per osculum dimidia pars?

SUMMARIUM.

Quæ quæstiones sint disputandæ, num. 1.

Quando consummato matr. constat de animo donandi, non est facienda distinctio, an sint vestes pretiosæ, an quotidianæ, seu acquirentur uxori: si vero constet de solo animo accommodandi ad usum, sunt soluto matr. restituendæ viro. 2.

An quando constat de animo donandi, valeat hæc donatio? 3.

Quid, si uxor donet viro vestes, an valeat donatio? 4.

An quando animus donandi, est dubius, censeantur hæ vestes donatæ uxori? Referuntur variæ sententiæ, a n. 5. usque ad 9.

Vestes quotidianæ censentur donatæ, & ita statim sunt uxoris: pretiosæ autem tantum accomodatæ ad usum, atque ita soluto matrimonio sunt viro reddendæ, 10.

Donatio in dubio, & quoties alia conjectura capi potest, non præsumitur, eodem 10.

Idem dicendum est de annulis, & aliis iocalibus traditis per virum uxori, 11.

Vestes quotidianæ ex bonis viri tradendæ sunt uxori, secus de pretiosis, 12.

Quid si vestes quotidianæ excedant dotis fructus, 13.

Quid, si vir mittens vestes pretiosas uxori, exprimat se donare? 14.

Vel fateatur eas esse uxoris, 15.

Vel sit consuetudo, ut animo donandi mittantur, 16.

Vel si non sit consuetudo, ut mittat vestes pretiosas uxori, 17.

Quid, si uxor aliqua viro donarat, virque vestes pretiosas mittat, 18.

Quid, si vir mittens vestes pretiosas sit valde nobilis, aut dives, vel uxor nobilis, ipse autem plebejus, 19.

Quæ dicantur vestes quotidianæ, & quæ pretiosæ, relinquitur arbitrio prudentis, 20.

Vestes seriæ apud nobiles, & divites censentur quotidianæ, secus apud alios, 21.

Vestes estivæ, & hyemales an censeantur quotidianæ? 22.

Vestes, sine quibus uxor absque dedecore non potest in publicum exire, censentur quotidianæ, 23.

An hoc intelligatur de diebus festivis, vel de quibuscumque. Refertur quædam opinio, 24.

Sententia authoris, n. 25. Et solvuntur argum. n. 26. Et ibi duobus conjecturis concurrentibus vincit potentior. Explicantur que l. Cum hic status, in principio, ff. de don. inter vir. & uxor. l. Uxori, ff. de leg. 3. l. 2. C. Si quis alteri. Post quem sunt alia summaria.

1 HÆc quæstio gravissima est, ejusque intelligentia petit præmitti aliam de vestibus donatis inter virum, & uxorem. Quatuor igitur quæstiones disputandæ sunt I. de vestibus traditis per virum uxori? II. de vestibus, & aliis traditis per sponsum sponsæ, attento jure communi, & regio antiquo Castellæ. III. quid attento jure regni Castellæ noviori? IV. quid dicendum sit, quando socer, aut socrus donat has vestes nurui, aut genero?

2 Quæstio I. An vestes, quas consummato matr. vir tradit uxori, censeantur ipsi donatæ. Constat, ubi est certus animus mariti traditi, distinguendum non esse inter vestes quotidianas, & pretiosas: sed utrasque esse restituendas, quando accommodatæ sint ad usum, finito usu per matrim. dissolutionem, viro, vel ejus hæredibus. Sic *Jo: Lup. rubr. de don. toto §. 5.* Si autem animus donandi fuerit constans, donationem esse, sive vestes pretiosæ, sive quotidianæ sint. Ut docent *Bart. l. pen. §. Servis uxoris, n. 3. vers. Non obstat, ff. sol. matr. & ibi Jo: de Imola, n. 10. Alex. de Nevo, c. fi. n. 22. de don. inter vir. & ux. Paul. cons. 428. n. 2. lib. 2. Roman. cons. 146. Matth. de Afflictis decis. 315. n. 9. Jo: Lup. eod. §. 5. per totum, Jul. Clarus l. 4. recepta. §. Donatio, q. 10. fi. Ant. Gabr. in mea edit. t. 2. commun. l. 19. f. 457. col. 2. vers. Vestes, Gamma decis. 71. n. 4. Mascard. de prob. concl. 564. n. 3. Gutier. 2. pract. q. 19. n. 5. Barbosa l. Quæ dotis, 34. n. 78. solut. matr.*

3 Est tamen latum discrimen quo ad valorem donationis harum vestium: nam si pretiosæ sint, non valet donatio, nisi morte confirmetur, instar aliarum donationum quæ fiunt inter conjuges. Ut bene docent *Jo: de Imola, Matth. de Afflictis, Julius Clar. Ant. Gabr. Gutier. cum Alex. & Socino per ipsum allegatis*, quos retuli n. præc. Donatio autem vestium quotidianarum statim valet. Quia hæ vestes pertinent ad alimenta, virque tenetur uxorem alere. Sic docent *Bart. l. pen. §. Servis uxoris, n. 3. ff. solut. matr. Jo: Lup. rubr. de don. §. 11. num. 3. Barb. l. Quæ dotis, 34. ff. sol. matr.* Unde fit, hanc donationem vestium quotidianarum, cum statim valuerit, non posse per virum revocari. Ut bene docet *gl. fin. l. Si usufructu ff. ad leg. Falcid. Barbos. n. 65. fine.*

Si tamen uxor donet viro quotidianas vestes animo donandi, non valet statim donatio. Habetur expresse *l. Si vir, 32. in fine principii, ff. de don. inter vir. & ux.* Quia est donatio inter conjuges, nec militat eadem ratio in uxore: nam vir tenetur uxorem alere, non autem uxor virum. Quare si uxor teneretur virum alere ob ejus inopiam, valeret statim ea donatio vestium quotidianarum, cum militet eadem ratio. Sic *Barb. d. l. Quæ dotis n. 72.* ita intelligens *Salicet. d. l. Sed si vir.* Quando autem non valet donatio, confirmabitur morte, sicut aliæ donationes inter conjuges factæ. 4

Tota autem difficultas, quando minime constat de donandi animo, consistit: an in hoc dubio censeantur vestes traditæ uxori per virum ipsi donatæ, vel solum accommodatæ ad usum? *Bart. l. pen. §. Servi uxoris n. 2. ff. sol. matr.* duas refert tent. Prima est, virum censeri omnes vestes donare uxori, eamque donationem morte confirmari. Ducitur, quia traditione rerum dominium acquiritur, *l. Tradition. C. de pactis*: ergo cum vir tradat has vestes uxori, censetur eas donare. 5

II. Sent. ait minime censeri donare, sed ad usum accommodare, & ita reddendas esse viro, soluto matr. Prob. quia vir tenetur vestes dare uxori, at in necessitatibus nemo liberalis existit, *l. Rem legatam, ff. de adm. leg. l. Donari, ff. de reg. jur.* ergo non censetur donare. 2. quia vir tantum tenetur alere uxorem constante matr. & proinde pro eo tempore tenetur vestes dare: ergo eo soluto restituendæ sunt viro, si adhuc extent. Hanc sent. sequitur *Dynus*, quem *Bart. ibi* refert; eamdem tenent *Bald. l. Cum to, n. 4. C. de don. ante nupt. Alex. l. Si is qui, §. Dos, n. 4. ff. ad legem Falcid. Campeg. de dote, 2. p. q. 55 n. 3.* Temperat autem hanc sent. *Bald.* ut vestes sint restituendæ viro, soluto matr. quando uxor prius obiit. Viro enim præmortuo vestes, quibus viduæ uti licet, uxoris erunt, ceteris viri hæredibus restitutis. Sed hanc sent. bene impugnat *Bart. n. præc. allegatus*: quia ex ea infertur virum censeri donare uxori vestes pretiosas, non autem quotidianas: has enim tenetur dare, & ita non censebitur donare: cum autem illas minime teneatur dare, censebitur liberaliter donare: quod tamen valde absurdum est. 6

III. Sent. ultra eas, quas *Bartolus* refert, asserit censeri virum donare vestes tam quotidianas, quam pretiosas, quando fructuum dotis quantitas id patitur, aut parum superesset nec hanc donationem esse prohibitam inter conjuges: secus si matr. brevi tempore duraffet. Sic *Cuman. l. pen. §. Servis, n. 5. ff. soluto matr.* 7

IV. Sent. ait vestes necessarias, nullo modo censeri donare: si vero necessariæ non sint, sic distinguendum esse; aut proportionatur dotis quantitati, & tunc dicit non censeri etiam donare: secus si excedant dotis quantitatem: tunc enim dicit censeri donationem, morteque confirmari. Sic *Alberic. d. l. pen. §. Servis n. 5.* & addit, *n. 6.* æstimandas esse, prout valent tempore soluti matrimonii. 8

V. Sent. fatetur, vestes quotidianas censeri donatas per virum uxori, si vero sint pretiosæ, & festivæ, sic distinguit, si uxoris causa paratæ sint, (ut communiter accidit) eique traditæ sint, censentur ei donatæ, eaque donatio morte viri confirmabitur. Si vero non causa uxoris paratæ sint, non censentur donatæ ut si vir mittat uxori gemmas, monila, & alia ornamenta, quæ domi habebat ipse vir. Prob. censeri donatas, quando paratæ sint causa uxoris: ex *l. Cum hic status, 33. in princ. ff. de don. inter vir. & ux.* ibi, *Oratio autem Imperat. nostri de consummandis donat. non solum ad ea pertinet, quæ nomine uxoris comparata sunt* 2. prob. ex *l. Uxori, 32. §. fi. ff. de leg. 3.* ubi vir legavit uxori quicquid pro ea concessit, & quærit *Jurisconsultus*, an in legato hoc comprehendantur centum aurei, quos vir creditori uxoris solverat? & respondet comprehendi, si donationis causa pro uxore solvit: idque præsumptum esse debere, nisi contrarium ab hæredibus viri probetur: ergo eo ipso quod aliquid uxoris causa paratur, præsumitur ipsi donari. 3. prob. ex *l. 2. C. Si quis alteri, vel sibi*, ibi, *si emancipatos vobis fundos, quos nomine vestro pater emit, vobis tradidit, vel in possessione eorum voluntate patris fuistis, dominium acquisistis*: ergo similiter uxor traditione rerum sibi comparatarum acquirit dominium. Hanc tenent *Barb. l. Quæ dotis, 34. n. 75. & dupl. seq., ff. soluto matr.* 9

Sit tamen conclusio. Verior, ac frequentissima sent. est, in hoc dubio censeri donatas uxori vestes quotidianas, solutoque matr. esse uxoris, & ejus hæredum: vestes autem pretiosas, seu festivas non censeri donatas, sed tantum ad usum accommodatas, & proinde soluto matr. viro, & ejus hæredibus esse restituendas, & cum non sit donatio harum vestium, minime confirmari morte. Prob. prima pars, nempe, vestes quotidianas censeri donatas. Quia expensas necessarias, quas vir expendit, ut suæ obligationi satisfaciat, nequit repetere: ut patet ex *l. pen. ff. de impensis*; ubi dicitur impensas factas gratia colligendorum fructuum ex re dotali, non esse extrahendas de dote, ut eam minuant. Et redditur ibi ratio, his verbis, *nam vieri res dotales vir suo sumptu debet*: sed vir tenetur suis sumptibus uxorem alere, *l. Si cum dotem, §. Si autem, ff. sol. matr.* & *fatiæ, l. Legatis ff. de alimentis, & cibar. leg. l. Verbo victus ff. de verb. signif.* ergo eas vestes quotidianas nequit vir repetere, sed censentur donatæ. 2. prob. ex *l. Ex annuo, 16. ff. de don. inter vir. & ux.* ubi asseritur, si quid annuum præstat vir uxori, scilicet, ad alimenta, (ut exponit *ibi gl. in tito*) statim uxoris effici, nec residuum posse a viro repeti, nisi fructus dotis valde excedat: ergo

cum vestes quotidianæ ad alimenta spectent, statim censentur donatæ uxori. Prob. secunda pars, nempe, vestes pretiosas non censeri donatas: ex *l. Hoc legatum, 45. de leg.* 3. ubi vestes paratæ causa uxoris ei legantur per virum: ergo supponitur a principio non fuisse donatas, alias legatum non subsisteret, *l. Proquia, C. de leg.* Secundo prob. ex l. *Mortis suæ, 54. ff. de don. inter vir. & ux.* ubi habetur, si res in dote æstimatas mulier viro consentiente in usu habeat, non ob id censeri ipsi donatas: ergo ex eo quod vir tradat uxori ad usum vestes pretiosas, non censetur ipsi eas donare. Tertio prob. ex *l. 23. tit. 11. p. 4.* ubi sic dicitur, *mas, si la mujer tuviere pannos escusados, que su marido le viviere dado, si el viere pannos de tornar ella los tales pannos con sus apmueve, luego deve de tornar ella los tales pannos con sus apmueve, luego deve de tornar ella los tales pannos con sus apareios a los herederos del marido*: ubi expresse videtur hoc definiri. Quarto, quia in dubio non præsumitur donatio, *l. Cum de indebito, vers. Qui enim solvit; ff. de prob.* & late tradunt *Men. l. 2. de arbitraviis, cent. 1. toto casu 88. Mascard de prob. tota concl. 555.* unde oportet expresse agi de donatione, ut talis sit: ut bene docet *Bald. l. Cum te, n. 2. C. de don. ante nupt.* Inde etiam fit, donationem nunquam præsumi, quoties alia conjectura, quam donationis, capi potest: ut docent *Bal. & Alex.* quos refert, ac sequitur *Greg. Lop. l. 36. verb. Bienes 1. 12. p. 5. Tiraq.* cum multis aliis, quos refert & sequitur *Mascard d. conclu. 555. n. 13. & 15.* addens etiam si conjectura esset levis. At dum vir tradit uxori vestes pretiosas, non expresse agitur, ut sint donatæ, & saltem negari nequit esse dubium an sit donatio, potestque sumi alia conjectura, quam donationis, nempe, traditionis ut ornatior incedat: ergo non censentur donatæ. Quinto, quia in traditis, non præsumitur donatio. *l. Si ut certo, §. Interdum, ff. commodati*: sed vir gratia sui tradit has vestes uxori, ut ornatior accedat ad ipsum: ergo non præsumitur donatio, Sexto, quia hæ vestes pretiosæ solent per virum mitti, & dari uxori, & sic pudor esset viris non concedere: quod autem fit ex pudore, dicitur fieri necessario, *l. Pecunia, ff. de alimen. & cibar. leg.* cum ergo hæc donatio fiat ex quadam necessitate, non est præsumenda donatio: quia in necessitate nemo liberalis existit, *l. Rem legatam, ff. de adim. legat. l. Donari, ff. de reg. jur.* Tandem probatur utraque pars ex *l. Id vestimentum, 25. ff. de peculio*, ubi habetur id vestimentum esse peculii servi, quod ei dominus tradidit ad usum quotidianum: secus de eo quod dedit, non ut semper eo uteretur, sed certis temporibus, & ad certum usum. Hanc sententiam sustinent *Bart. l. Si usufructus, ff. ad leg. falcid. n. 20.* ita intelligens glos. final. ibi: *idem Bart. l. pen. §. Servis uxoris, n. 3. ff. sol. matr. & ibi Bald. n. 3. & 4. Jo: de Imola ibi n. 11. Paulus n. 4. Alex. n. 3. & 4. Idem Bald. auth. Ex testamento, nu. 8. C. de collatio. Alex. de Nevo c. fin. n. 22. de donat. inter vir. & uxor. Rom. cons. 145. Barbatius cons. 60. l. 3. Capella Tholosana qu. 336. Vitalis tr. clausularum, t. An juri alimentorum possit renunciari: Ang. instit. de actio. §. Fuerat, num. 26. Matthæus de affictis, decis. 315. n. 2. & 3. Alex. cons. 42. num. 4. vol. 5. Jo: Lup. rubr. de don. §. 6. n. 5. usque ad 13.* & melius *§. 11. n. 1. 2. 3. 4. & 9. Mont. l. 3. fori, l. 6. gl. Lecho quotidiano, Roland. cons. 10. nu 12. l. 1. Rojella donatio 1. n. 37. Sylv. Don. 2. q. 5. Castillo l. 52. Tauri, verb. Sed pretioso, n. 21. Greg. Lop. l. 23. verb. Pannos, t. 11. p. 4. Gom. Arias l. 50. Tauri, num. 11. Ant. Gom. l. 52. Tauri, n. 4. Villalobos in communib. opin. lit. V. verb. Vestes, n. 47. & 48. & lit. D. verb. Donat. nu. 198. Rojas epitome successionum, c. 33. n. 47. Petrus Greg. Syntagmate juris l. 28. c. 10. n. 19. Menoch. multos referens, de arbitrar. l. 3. centuria 3. casu 218. n. 2. & 3. Julius Clarus l. 4. recep. §. Donat. qu. 10. vers. Succesive quero, Mascard. de probat. concl. 564. n. 2. Avendano de exequen. mandat. Mascard. de probat. concl. 564. n. 2. Avendano de exequen. mandat. in princ. Cagnolus l. Contractus, num. 36. ff. de reg. jur. Jul. Clarus l. 4. recept. §. Donat. q. 10. in princ. Roma, Barbatius. Petr. Gregorius, quos refert, & sequitur Bab. l. Quæ dotis, 34. n. 78. ff. sol. matr.* At licet hoc probabile sit; verius tamen est, non censeri donationem. Nam verbum, Dono, improprietur secundum subjectam materiam, *l. Si uno, 17. ff. locati*, ibi, *sed & si verba donationis dominus ob sterilitatem anni remiserit, idem erit dicendum, quasi non sit donatio, sed transactio.* 2. probatur, quia cum usus sit eas vestes mittendi uxori, non animo liberali, sed ex verecundia ac pudore; ex necessitate censetur mittere: ut probavi num. 10. ratione 6. atque ita non erit donatio. 3. quia illis verbis non visus est maritus donare, sed sunt urbanitatis, & officii gratia dicta; quæ obligationem non parjunt, vulgo *palabras de compimento non obligan*. Unde cessat fundamentum contrariæ sent. quia ex subjecta materia aperte colligitur non usurpari tunc verbum, Dono, in sua propria significatione. Ita tenent *Bart. l. 1. Nec castrense n. 10. ff. de collat. bon. Bald. auth. Ex testamento, n. 8. C. de collat. Paulus cons. 428. nu. 2. l. 2. Anchar. cons. 181. a n. 1. Alex. cons. 155. n. ult. l. 7. Corneus cons. 81. a n. 14. l. 1. Jo: Lup. rubr. de don. §. 7. per totum Jo: de Imol. l. pen. §. Servis, n. 11. ff. sol. matr. Roland. cons. 10. n. 15. & 16. l. 1. Campegius de dote, 2. p. q. 55. n. 4. Rojella Donat. 1. n. 37. Ang. verb. Peculium, num 21. Sylv. Donat. 2. p. 5. Ant. Gom. l. 52. Tauri, num. 4. Matienzo l. 5. recop. t. 1. l. 4. gl. 5. nu. 1. ad fin. Gut. 2. pract. q. 19. n. 3.* Et ex Theologis *Lud. Lup. l. 2. de contracti. c. 47. §. Sed de hiis donationibus.*

Unde minus crede quod ait *Barb. ea l. Quæ dotis n. 80.* refe- 15
rens Aimonem, nimirum si vir fateatur vestes esse uxoris, censeri animo donandi tradidisse. Nam ea verba sunt urbanitatis, & licet communiter dentur accommodatæ ad usum, nunquam vir rogatus cujus eæ vestes sint, solet dicere suas, sed uxoris: ergo non videtur per ea verba donare.

3. Intellige, ut vestes pretiosæ non censeantur donatæ, 16
nisi consuetudo esset in ea regione ut animo donandi mitterentur: tunc enim missio simplex contineret in se donationem. Quia donatio videtur facta juxta loci consuetudinem: ex doctrina *Bald. l. 2. n. 2. C. de jure don.* & quia consuetudo est optima legum interpres, *l. Se interpretatione, ff. de leg. & c. Cum dilectus, de consuet.* Sic *Bart. l. Si ut certo, §. Interdum n. 1. ff. commodati*, ubi *Bald. Paul. & Fulgos.* Idem *Decius, Jas. Lancelotus*, quos refert, & sequitur *Barb. l. Quæ dotis 34. n. 79. ff. sol. matr. Jo: Lup. rub. de don. §. 6. init. Gom. Arias l. 50. Tauri n. 11. Quesada in diversis questionibus juris, c. 28. Gutier. 2. pract. q. 19. n. 2.*

4. Intellige, ut vestes pretiosæ non censeantur donatæ, 17
quando ratione consuetudinis eas vir mittit: si enim ea consuetudo non esset, censeretur donare, *l. Donari, ff. de reg. jur.* Quia tunc sponte mitteret. Unde eadem ratione censetur donare, si quid ultra consuetudinem mittat. Quia in eo excessu versatur liberalitas. Sic docent *Rom. & Corn.* quos refert ac sequitur *Barb. d. l. Quæ dotis n. 81.*

5. Intellige, nisi sponsa donarit aliqua viro: tunc enim 18
censetur vir in remunerationem donare vestes pretiosas. Arg. *l. Si vero non remunerandi, §. Inde Papinianus, ff. mandati* Sic *Rom.* quem refert & sequitur *Barb. ea l. Quæ dotis, n. 80. ff. Jo: Lup. rub. de don. §. 10. init. Quesada de diversis quæst. juris, c. 28.*

Ultimo intellige, nisi vir tradens vestes pretiosas, valde 19
dives & nobilis sit: tunc enim videtur eas donare: & verba ambigua in vim donationis accipientur: argumento *c. 1. de don.* ibi, *nobilitas legem imponit, ut debere sed quod sponte tribuit, existimet, & nisi in beneficiis suis creverit, nihil se præstitisse putet.* Et *l. Uxori, 32. §. fi. jurid. gl. fi. ff. de leg. 3.* ubi textus ait præsumi donationem cum vir solvit pro uxore. Et reddit rationem *gl.* quia erat vir nobilis. Sic *Bald. c. Juravit, num. 10. vers. Item si dissent, de prob. Matth. de afflict. decis. 315. num. 4. Berojus cons. 62. n. 24. l. Tiraq. de nob. c. ult. n. 47. Boer & Aimon*, quos refert & sequitur *Barb. l. Quæ dotis, 34. n. 80. ff. sol. matr. Jo: Lup. rub. de don. § 8. fini. & § 9. n. 18. Sylv. Pecul. 2. q. 12. Tab. verb. Peculium, q. 19. num. 20.* ubi *Armil. num. 17. Gom. Arias l. 50. Tauri n. 16. Nav. sum. c. 17. n. 160. Quesada diversis qq. jur. c. 28. Gut. 2. pract. q. 20. n. Salaz. de usu curiæ c. 7. n. 12.* Et ex Theologis *Lud. Lop. 12. de contr. c. 41. fi. Manuel 1. t. sum. c. 93. n. 4.* Imo solæ divitiæ faciunt hanc conjecturam, *gl. l. Sed si ego fi. ff. ad S.C. Vellej. Bald. l. 1. n. 6. C. eod. tit. Jo: Lup. d. § 9. n. 18. Menoch. de præsumpt. l. 3. præsump. 24. n. 3. 4. & 5.* ubi idem dicit cum *Jo: Lup. n. 19.* præsumi, quando sponsa esset nobilis, & sponsus plebejus. Addit *Barb. eod. n. 80.* præsumi divitem & nobilem donare, licet res esset magni valoris, nisi immensi essent pretii. Quia alias nulla esset specialitas in viro nobili & divite: cum quemcumque maritum præsumatur parva donare: arg. *l. Uxum, ff. de don. inter vir. & ux.* ibi, *ex genere impensæ*: ubi *gl.* in casus positione, dicit in parvis præsumi donum: Ceterum hæc limitatio valde dubia est, ut recte expendunt *Menoch. de arbitr. l. 2. centur. 1. casu 88. n. 50. Mascard. de prob. concl. 555. n. 62.* & sic dicunt intelligendam hanc limitationem, quando actus a nobili gestus conveniret donationi. Item intelligitur in rebus non magnis. Sic *Bart. l. Uxori, §. n. 1. ff. de leg. 3. Soc. jun. consl. 79. n. 99. vol. 8. Menoch. d. casu 88. n. 50. & de præsumpt. l. 3. præsump. 24. fi. & consl. 1. n. 225. vol. 1. Mascard. d. cons. 555. n. 63.* & tenent *Jo: Lup. rubr. de don.*

§. 11. in. ubi postquam *duplici §. præc.* asseruerat ratione nobilitatis, vel divitiarum præsumi donationem: dicit §. 11. *int.* prædicta intelligenda est, quando dona sunt vilia & parvi valoris, nec in pretiosis donationem præsumi, & videtur clare tenere *Gut. 2. pract. q. 19. n. 4.* ubi relata sent. asserente præsumi virum nobilem donare, ait in his personis juxta rerum traditarum rationem, & qualitatem judicandum esse an sit donatio. Atque ita plus mihi placet hæc sent. Et ad fundamentum Barbosæ dic cum *Gut. eod. n. 4.* plus deferendum esse viro nobili & diviti; quod enim respectu pauperis erit magnæ quantitatis, & pretiosum, respectu nobilis erit parvum.

20 Tandem restat videndum, quæ dicantur vestes pretiosæ, quæ autem quotidianæ: quod communis sent. ait arbitrio prudentis relinqui, attenta viri & uxoris dignitate, & patriæ consuetudine inter similes personas. Sic docent *Immola l. pen. §. Servis, ff. sol. matr. Jo: Lup. rubr. de don. 9. 11. a n. 11. Roland. cons. 10. n. 17. l. 1. Greg. Lop. l. 23. gl. fin. t. 11. p. 4. Gom. Arias l. 50. Tauri, n. 17. Villalobos in commun. opin. lit. V. verb. Vest. n. 48. Menoch. de arbitr. l. 2. cent. 3. casu 218. n. 5. Gutier. 2. pract. q. 19. n. 6. Matienzo d. 5. recop. t. 2. l. 4. gl. 5. fine, Azebedo, ea l. 4. n. 29. Spino spec. tess. gl. 18. 115. Quesada diversis q. jur. c. 28.* Addit considerandam etiam esse in hoc arbitrio quantitatem dotis uxoris: quo enim dos amplior est, eo honorabilius tractanda uxor est: Argumento eorum quæ notantur *l. 1. C. de imponenda lucrati descript. l. 10. & l. Id vestimentum, ff. de peculio.* Sic *Jo: Lup. cod. §. 11. n. 15.*

21 Hinc infertur, vestes sericas annumerari inter quotidianas, apud nobiles & divites, quando attentis nobilitate, & divitiis hæ decent ipsos: apud inferiores autem notæ personas minusque divites, inter pretiosas computari. Non enim omnes æqualibus vestibus uti debent, *l. 1. C. quæ res vendi non possunt.* Sic *Alex. cons. 42. vol. 5. n. 4. Astiti. decis. 315. n. 14. Jo: Lup. rubr. de donat. §. 11. n. 9. & 10. Menoch. de arbitrar. l. 2. centur. 3. casu 218. n. 5. Gut. 2. pract. q. 19. n. 9. Barbosa l. Quæ dotis, 34. n. 73. ff. solut. matr.*

22 2. Infertur, si vestes destinctæ sint pro anni tempore, 23
aliæ sericeæ hyemales, & aliæ æstivæ, si pro dignitate necessariæ essent, omnes censeri quotidianas. Sic *Salicet. l. Sicut fin. C. de don. inter vir. & uxor. Jo: Lup. rubr. de don. §. 11. n. 9. init. Barb. n. 73. prox. cit.*

23 3. Infertur, vestes honorificas sine quibus attenta dignita- 24
te conjugum mulier commode, & pro dignitate sine dedecore non posset exire in publicum, reputari quotidianas, quamvis ex se pretiosæ sint. Sic *Sald. l. pen. §. Servis n. 3. ff. sol. matr. Jo: Lup. eod. §. 11. n. 9. Greg. Lop. l. 23. t. 11. p. 4. Avendanno de exequend. mand. l. 1. c. 15. §. Azebedo l. 5. recop. 2. t. 1. n. 29. Gut. 2. pract. q. 19. n. 8. Barbosa d. n. 73.*

24 Dissidet tamen inter hos DD. an intelligatur hoc de ve- 25
stibus sine quibus non potest uxor absque dedecore in publicum exire solis diebus festivis? Quidam enim censent quotidianas etiam dici eas vestes quibus utuntur mulieres diebus festivis communibus, & non solemnibus, & sine quibus tunc in publicum absque dedecore egredi nequeunt. Sic *Greg. Lop. Avend. Azeb. Gut. n. 8. relati n. 5. præc.* Nituntur que authoritati *Bald. eod. §. Servis n. 3.* ubi indistinctè docuit censeri vestes quotidianas, sine quibus non potest mulier publice comparere. Et hic modus dicendi probabilis est.

25 Verius autem est, intelligi de diebus non festivis. Arg. desumpto ex *l. Id vestimentum 26. de pecul.* ubi habetur id vestimentum esse peculii servi, quod ei dominus tradidit ad quotidianum usum: secus de eo quod dedit, non ut semper servus illo uteretur, sed certis temporibus, & ad certum usum. Item, quia vestes quotidianæ si vocem & sonum attendamus; eas quæ in usu quotidiano sunt, significant. Sic *Jo: Lup. & Barb. rel. n. 23.* & videtur tenere *Menoch. de arbitr. 2. cent. 3. casu 218. n. 3.* ubi vestes quotidianas explicat, quibus quotidie mulieres domi utuntur: & *n. 5.* ait festivas esse quibus solis diebus festivis induuntur.

26 Ad arg. primæ sent. propositum n. 5. resp. traditione acquiri 27
dominium, nisi conjectura probabilis sit contrariæ voluntatis: qualis est dum traduntur vestes pretiosæ. Ad arg. secundæ sent. proposita n. 6. dic: ad 1. cum *Paulo l. pen. §. Servis n. 4. & ibi Jo: de Imola n. 11. ff. sol. matr.* censeri virum solvere debitum, dando vestes quotidianas uxori, pro tempore quo matr. constat: donare autem pro eo tempore quo dissolvendum est: quando jam non ex necessitate id facit. Quæ donatio valet irrevocabiliter a principio, ut dixi n. 3. Secundo potest dici concurrentibus duabus conjecturis vincere potentiorem: ut multis relatis tradunt *Mantica de conjecturis ult. vol. l. 12. t. 17. n. 7. Menoch. de præsumpt. l. 1. q. 30. n. 8.* & clare probat *l. Divus, ff. de in integ. restit. junta gl. verb. Existimari.* Fortior autem est præsumptio, & conjectura quæ desumitur ex *l. Ex annuo, ff. de don. inter vir. & uxor.* decidenti, annuum datum pro alimentis, licet aliquid superfit, censeri donatum, & valide inter conjuges: & ex *l. Usum, ff. eod. tit. quæ habet modica censeri inter conjuges donata*: qualia sunt quæ superfunt soluto matr. ex vestib. quotidianis: qua conjectura, quod nemo in necessitatibus liberalis censetur. Quod vel ex eo colligitur, nam hæ donationes inter conjuges, non amare ac inter infestos, sed benigne tractandæ fuit, ut inter conjunctos maximo affectu, *l. Si id quod, 29. vers. Si quas, ff. de don. inter vir. & uxor.* Ad 2. dic tantum teneri dare pro tempore quo durat matr. censeri autem illum absolute dare, quando id non explicat. Ad arg. quintæ sent. propositum n. 9. resp. Ad 1. dico *cum Bart. d. pen. §. Servis n. 3. ff. sol. matr.* intelligi eum textum, quando constat animo donandi comparasse uxori: non vero quando sumas in dubio. Ad 2. resp. cum *gloss. fin. ea l. Uxori*, ideo præsumi donationem, quia vir dicit in legato. Quicquid concessi pro uxore; ubi videtur significare le donasse, & animo donandi solvisse, alias non diceret, quicquid concessi pro ea. Ad 3. dico cum *gl. ea l. 2. ver. emancipatis*, id provenire, quia filius jam est mancipatus, & sic præsumitur ea donatio: cum jam sit extra patris potestatem & regimen: secus si non esset mancipatus. Cum ergo uxor sit sub viri potestate, & regimine, viroque incumbat ipsam vestibus quotidianis & pretiosis ornare, non eo quod pretiosas uxori paret, censebitur donare.

SUMMARIUM.

At attento jure communi, & regio antiquo Castellæ, vestes quas mittit sponsus sponsæ censeantur donatæ, ipsaque acquirat, sive sponsa sit de præsenti, sive de futuro? Refertur opinio affirmans, n. 27. & ibi, refertur alia opinio.

Sent. authoris, n. 28. Post quem invenies alia summaria.

QUæstio II. An attento jure communi, & regio antiquo Castellæ, vestes sive pretiosæ sint, sive quotidianæ, quas mittit sponsus de futuro, aut de præsenti, sponsæ ante matr. consummatum, censeantur donari? Affirmant aliqui, dicuntque sponsam, dimidiam illarum partem lucrari per osculum, integras autem per copulam: & ita censeri sponsalitiam largitatem. Quia tunc adest probabilis conjectura donationis, in præmium, scilicet, virginitatis & dotis. Sic *Ant. Gom. l. 52. Tauri n. 4. Matienz. l. 5. recop. t. 2. l. 4. gl. n. 2. Molin.* autem *tr. 2. de just. tr. 2. disp. 290. §. Quartum est dubium*, dicit quæ mittit sponsus sponsæ, sive de præsenti, sive de futuro, minime censeri sponsalitiam largitatem, atque ita nil illorum lucrari sponsam per osculum, aut copulam: sed censeri commodata, ut ornatior ad eo sponsa accedat. Quia cum possit alia conjectura, quam donationis, sumi, ea præsumenda non est: juxta tradita n. 10.

Sed verius est, eamdem adhibendam esse distinctionem, 28
sive vestes mittantur uxori sive sponsæ, ut pretiosæ non censeantur donatæ, sed commodatæ ad usum, quotidianæ autem censeantur donatæ: quia utroque casu rationes propositæ, n. 10. militant. Deinde probatur ex *l. Si ut vero, §. Interdum, ff. commodati*, ibi, *si sua duntaxat causa commodavit sponsæ suæ, vel uxori quo honestius culta ad se duceretur.* Ubi sponsa & uxor, quoad hoc æquiparantur: & *l. Hoc legatum, 45. fin. ff. de legat. 3.* ubi expresse dicitur paria esse sive tradantur vestes sponsæ, ante matr. consummatum, sive uxori, eo consummato. Quia utroque casu videntur vestes ad usum traditæ, & *l. Si quid, 45. initio, ff. de legat. 3.* ibi, *si quid earum rerum comparavit, antequam uxorem duxit, sicut ei ut uteretur tradidit, perinde est quasi postea comparavisset.* Nec obstat fundamentum primæ sententiæ, propositum num. præced. quia non hæ vestes, sed arrhæ solent assignari in præmium pudicitiæ, & dotis. Nec etiam obstat fundamentum secundæ, quia vehementiores sunt conjecturæ, quæ probant vestes quotidianas censeri esse donatas: ut dixi n. 26. Sic tenent *Imola l. pen. §. 1. ff. sol. matr. Ang. cons. 339. n. 3. Anch. cons. 181. num. 3. Corneus cons. 18. n. 13. l. 1. & cons. 114. ad fin. l. 4. Alexand. cons. 155. l. 7. Cagnol. l. Contractus, n. 36. ff. de reg. jur. Jo: Lup. rubr. de don. §. 6. a n. 5. usque in fin. Villalobos in commun. opin. lit. V. verb. Vestes, n. 47. & 48. Greg. Lop. 23. verb. Pannos, t. 11. p. 4. recop. §. Donatio, q. 10. init. Quesada diversis q. juris, c. 28. Olanus concord. juris, lit. D. verb. Donatio, n. 72. Gama 1. p. decis. 71. n. 1. & 4. & decis. 123. n. 1. & 2.*

SUMMARIUM.

At attento jure noviori Castellæ, vestes & quæcumque alia missa per sponsum sponsæ de futuro, aut de præsenti, ante consummatum matr. censeantur sponsalitia largitas, & more illius acquirantur. Refertur opinio negans, 29.

Contraria authoris, n. 30. Et ibi, remissive, quid de annulo, & ceteris donatis tempore nuptialium benedictionum.

Quid, si hæc donatio excedat decimam bonorum sponsi partem, 31.

Post num. 31. invenies alia summaria.

QUæstio III. An vestes, & quæcumque alia missa per 29
sponsum sponsæ de futuro aut de præsenti, vel e contra per sponsam sponso, censeantur attento jure noviori regni Castellæ sponsalitia largitas, & more illius acquirantur, quando de contraria donantis voluntate minime constat? *Greg. Lop. l. 23. verb. Pannos t. 11. p. 4.* dubius est, an *l. 2. Tauri, hodie l. 4. t. 2. l. 5. recop. Castellæ*, loquatur de his vestibus. Quia vestes nuptiales non dantur ut sponsalitia largitas, nec ut sponsæ, sed tamquam uxori. Quare magis in eam partem declinat, ut in his vestibus incorrectum maneat jus commune: quod quid contineat, nam præc. explicuimus. Imo *Molin. tom. 2. de just. tr. 2. disp. 290. §. Quartum est dubium*, asserit etiam attento hoc jure, donata inter sponsos de futuro, vel de præsenti ante consummatum matrim. ubi de animo donan-

donantis minime constat, non pertinere ad sponsalitiam largitatem, & ita nec per osculum, medietatem, nec per copulam, integre acquiri. Ejus fundamentum retuli n.27. & illi satisfeci n.28.

30 Verum tenendum est, corrigi jus commune per illam l.52. *Tauri*, & ita vestes, sive pretiosas, sive quotidianas, & quæcumque alia jocalia data per sponsum sponsæ de futuro, vel de præsenti, vel e contra per sponsam sponso ante matr. consummatum, pertinere ad sponsalitiam largitatem, acquirique sponte medietatem per osculum: & utrique integræ, per copulam, quando de contraria donantis voluntate non constat. Prob. ex illis verbis *d.l.52. todo lo que esposo le vuiere dado antes de consumido el matr. agora sea precioso, agorano*. Et ita tenent *Jo. Lup. rubr. de don. §.6. n.13. Castill. l.52. Tauri, ver. Agora sea precioso, n.21. & ibi Ant. Gom. n.4. fin Gom. Arias l.52. Tauri, nu. 6. Villalobos antinon. juris civilis, & regii, lit. D. verb. Donatio, num. 25. Olanus concordia juris civilis, & regii lit. D. verb. Donatio, 72. & in correctione legum paritarum, n. 75. Matienzo l.5 recop. t.2. l.4. gl.5. n.2. Azebedo eadem l.4. n.29. Spino spec. testam gl.18. n.115. Barbosa l. Quæ dotis, 34. num. 82. & 83. fin. fol. matr.* Quid autem dicendum sit de annulo, & aliis donatis tempore nuptialium benedictionum? dixi hoc lib. disp. 23. num.8.9. & 10.

31 Cavendum autem est a *Villalobos n. præc. relato*, ubi hanc sent. temperat, dummodo hæc donatio non excedat decimam bonorum sponsi partem, quam arrharum nomine potest uxori designare; juxta *l.50. Tauri, hodie l.2. tit.2. l.5. recop. Castellæ*. Sed bene *Olanus concord. juris civilis & regii, lit D. verb. Donatio, n.72.* eum reprobat: quia *l. 52. Tauri*, hanc donationem computat inter sponsalitiam largitatem, & non inter arrhas: dicit enim medietatem acquiri per osculum, & integram per copulam: quod sponsalitiæ largitatis proprium est. Hæc autem non mensuratur juxta bona sponsi, sed juxta dotem sponsæ: ut dixi disp. præc. n. 1.

SUMMARIUM.

An si socer donet vestes nurui, nurus eas sibi comparet, vel censeantur donatæ filio, teneaturque in sua legitima computare. Refertur opinio affirmans, n. 32.

Ubi dubium est an omnus fuerit donandi, si pretiosæ sint, censentur accommodatæ ad usum, si autem quotidianæ, censentur donatæ, & priores tantum tenetur filius conferre: & si consparet de animo non donandi, quotidianæ essent etiam conferendæ, n. 33. Et ibi, an sit sponsalitia largitas hæc donatio vestium quotidianarum.

Idem dicendum est de vestibus datis filiæ per patrem nuptiarum tempore, 34.

Quid, si non tradat pater has vestes ultra dotem, 35.

Quid, si pater, aut socer sit valde dives, aut nobilis, 36.

An sint conferendæ hæ vestes tales, quales tempore collationis fuerint, 37.

Quid, si animus soceri sit donare nurui, & non filio, n. 38. Et ibi, semper inspicetur quod principaliter intenditur.

DISPUTATIO XXVI.

Utrum donata a consanguineis sponsi, sponsæ, vel e contra a consanguineis sponsæ, sponso, censeantur sponsalitia largitas, aque ita acquirantur sponsæ per osculum quoad medietatem: & utrique per copulam, integre, initar sponsalitiæ largitatis?

SUMMARIUM.

Quotuplex sit quæstio disputanda, num. 1.

Idem quod de donatis a consanguineis alterius conjugis alteri dicitur, dicendum est de donatis ab amicis alterius, 2.

Quando utrique conjugi donatur aliquid ab extraneis, nec alterius contemplatione, est dividendum inter illos, n. 3. Idem si donetur utrique ab amicis, vel æque consanguineis utriusque, eo n. 3.

Quando donans est consanguineus conjugis cui donat, illi soli acquiritur, n.4. Et ibi explicatur l.tit.9. l.5. recop.

Quando donans alteri conjugi est æque utriusque consanguineus, acquiritur conjugi cui donatur, n.5. Idem est, quando alter conjux non est causa proxima illius donationis, 6.

Quando conjugis donatarii extant benemerita erga consanguineum alterius conjugis donantem, acquiritur conjugi, cui donatur, n.7. Et ibi quid si obsequia, aut beneficia collata essent de communibus bonis.

Quando solius mariti merita extant erga donantem uxori, acquiritur ea donatio ipsi marito, n. 8. & standum est voluntati donantis, quando de illa constat, 9.

Quando consanguineus conjugis alterius consummato matr. donat alteri, an acquiratur conjugi cui donat, vel conjugi consanguineo cujus contemplatione donat. Refertur opinio, n.10. Et contraria authoris, 11.

Quid, si a consanguineis alterius, donetur utrique conjugi, 12.

Quid si conjectum sit ut consanguinei alterius conjugis alteri donent, num. 13. Et quid, si princeps, vel augusta donaret aliquid uxori sui consanguinei.

An exigatur in donatione fieri mentionem affinitatis, 14.

Quid si res donatæ conjugi ipsi sint aptæ, & non consanguineo cujus contemplatione donantur, aut sint indifferentes, 15.

Quid, si donatio fiat mortuo consanguineo conjugi, 16.

Quid, de donatis a socero nurui, remissive, 17.

An esto donata uxori a viri consanguineis censeantur viro donari, si vir sciens ea uxori donata, non revocet, an censeatur illa donare uxori, & morte confirmetur ea donatio. Refertur opinio affirmans, n. 18. Et contraria authoris n. 19.

Solvuntur argumenta, & enodantur l. Si servus communis, ff. de don. inter vir. & uxor. & l. finalis, in fi. C. de uju & usufructu, n. 20.

An donata sponsæ a consanguineis sponsi, vel e contra, censeantur sponsalitia largitas, & instar ejus acquirantur. Refertur opinio affirmans, n. 21. Et contraria authoris, n. 22.

Ea donatio habet tacitam conditionem, si matrimonium sequatur, 23.

1 QUæstionis hujus decisio pendet ex alia, quare ea præmittenda est. Duplex igitur est pertractanda quæstio. Prior de donatis viro a consanguineis uxoris, & e contra. Posterior de donatis a consanguineis unius sponsi alteri ante consummatum matrim.

2 Quæstio I. An donata a consanguineis viri, uxori, & e contra a consanguineis uxoris, viro, acquirantur conjugi consanguineo cujus contemplatione donantur, vel potius ipsimet conjugi, cui donantur? Præmittendum est, idem prorsus dicendum esse de donatis ab amicis unjus conjugis alteri, quod dicemus de donatis a consanguineis. Sicut enim in hoc casu ratione consanguinitatis oritur præsumptio, factam esse donationem ratione ac contemplatione consanguinei, ita in illo, ratione amicitiæ. Colligitur ex *l. Sed si plures, §. In arrogato, ff. de vulga.* ibi, *si arrogatoris amicus, vel cognatus*: ubi data per amicos vel cognatos æquiparavit. Item quia dispositum in consanguineis ratione præsumpta amoris & dilectionis, censetur dispositum in amicis non levi amicitia conjunctis, *l. Cum allegas, C. de castrensi peculio, l. 12. l. 3. t.9. l.5. recop. Castella*, ibi, *donadio de pariente, o amigo*: ubi *Matienzo gl. 4. n. 1. & dialogo relatorum 3. p. c. 15. & seq. Azebedo alios referens ea l.3. n.6. & l.34. n.3. t.6. l.3. recop.* hoc docent. Et colligitur etiam ex *l.9. t.5. p.6.* ibi, *lo que vuiesse dado algun su amigo de aquel que lo probio*. Et in propriis terminis indifferenter de amicis, vel consanguineis, in præsenti casu loquuntur *Bart. conf. 11. n.3. l.2. Franc. Aretin. Si pater, §. In arrogato*, (ibi enim hunc §. explicuit) *n.9. vulg. Jo. Lup. l.52. Tauri, n. 11. & rubr. de don. §. 45. n. 7. & 12. fi. Sylv. Donatio 2. q. 5. Gutier. 2. præct. q 120. n. 8. & 9. Lud. Lop. l.2. de contract. c. 47. §. Sed de his donation.*

3 Hoc præmisso, quæ apud authores certiora sunt, proponam: deinde quæ dubia sunt, disputabo. 1. Igitur certum est, quando utrique conjugi donatur aliquid ab extraneis, ita ut nulla sit conjectura alterius contemplatione dari, acquiri societati, & proinde dividendum esse inter utrumque conjugem, sicut alia bona constante matr. acquisita. Quia utrique datur, & cum non sit conjectura contrariæ voluntatis, utrique debet acquiri. Sic *Ant. Gom. l.52. Tauri n.57. Gut. 2. præct. q. 120. n.9. Jo. Garc. de conjug. quæstu n.114. Mol. t.2. de just. tr.2. disp. 430. concl.1.* Idem dicendum est, de donatis utrique, ab amicis utriusque: Sic *Jo: Garc. & Mol. ibid.* Idem si sit donans utrique æque consanguineus utriusque. Sic *Molina ibid.* Quia in his eventibus non est in oppositum conjectura, & ex altera parte utrique fit donatio.

4 2. Certum est, quando donans est consanguineus illius conjugis cui donat, illi acquiri, nec esse cum alio dividendum. Habetur expresse *l.3. tit.9. l.5. recop. Castellæ*, quam minus bene expendit *Azeb. ibi n.8. & l.2. n.25.* ut taciat contra opinionem Bartoli, & communem quam amplectemur, n.11. asserentem donata a consanguineis viri, uxori, acquiri viro: quasi hæc lex generaliter statuat acquiri donata a quibuscumque consanguineis, ipsi conjugi donatario. Nam vere hæc lex intelligitur quando donator est consanguineus ipsius donatarii. Et ita eam intelligunt *Jo: Garc. de conjugalis acquestu, nu.115. Gut. 2. præctic. q.120. n.9. fin.* Vel ut intelligit *Jo: Lup. rubr. de don. §.44. n.2.* quando donaret consanguineus unius conjugis, alteri conjugi, & constaret de ejus mente esse, ut omnino acquireretur conjugi donatario.

5 *n. 3.* Est certum, quando donans alteri conjugi est æque utriusque consanguineus, illi tantum cui donat, acquiri, nisi aliunde diversa sit conjectura. Quia tunc illi tantum fit donatio, nec est conjectura præsumendi potius alterius conjugis, quam sui contemplatione fieri. In hoc enim casu loquimur. Sic *Gutier. 2. præct. q.120. n. 22.*

6 4. Videtur certum, quando consanguinitas, vel amicitia cum altero conjuge, est tantum causa remota, vel occasio ut alteri donetur, non autem causa proxima, soli conjugi donatario acquiri. Ut si consanguineus uxoris donat viro, ita ut non donasset nisi propter uxorem, tunc uxor erit causa immediata & proxima ejus donationis: & locum habebit quæstio, an id donum acquiratur uxori, cujus causa ac contemplatione donatur, vel potius viro cui donatur. Si autem propter uxorem, & ob ejus consanguinitatem, donans notitiam viri habuit, verum non propter uxorem proxime donans, sed quia ex amicitia cum eo contracta, æque aut plus illum diligit, quam uxorem: tunc consanguinitas uxoris erit causa remota, seu occasio: vera autem & proxima causa erit amicitia cum viro inita, & ita in hoc casu proculdubio donum acquireretur viro, non autem uxori donatoris consanguineæ. Sic colligitur ex *l. Socium qui in eo, §. fin. ff. pro socio.* Et ratio est, quia cum de voluntate donantis non constet, & ex conjecturis deprehendenda sit, major est conjectura pro donatario: urget enim in ipsius favorem, tum ipsi factam esse donationem: tum etiam, æqualem aut majorem amicitiam cum ipso initam esse. Sic *Bart. l. Sed si plures, §. In arrogato, n. 3. ff. de vulg. & ibi Alex. n. 6. Cum n. 3. Paulus ibi, §. Ad substitutos, n. 6. Jo. Lopus rubr. de don. §. 65. nu. 65. Mondulus l. 9. fin. t. 5. p. 6. & l. 3. fori, t. 4. l. 7. verb. Otro, Castillo l.52. Tauri n.16. Sylv. Pecul. 1. q.15. Ang. verb. Pecul. n.3. ubi Tab. n.14. Nav. sum. Hij. p.c. 17. n.164. Greg. Lop. l.3. verb. Igualmente n.10. p.5. Suarez l.3. fori, t. de las ganancias, l.1. n.32. very. Videtur hoc facere. Azeb. l.5. recop. t.9. l.3. n.9.* Quamvis enim multi ex his Doctoribus non loquantur in casu nostro, sed quando filius contemplatione patris aliquod donum acquirit, dicantque acquiri patri, quando pater est causa proxima, secus quando est remota: at casus est omnino similis.

Hinc infertur, quando uxoris extant benemerita erga consanguineum viri donantem, in dubio ipsi uxori acquiri. Ut si ægre valenti donatori magna cura ministravit, vel alia obsequia exhibuit. Quia tunc præsumitur viri consanguinitatem esse causam remotam, proximam vero illa uxoris benemerita. Item, quia quando præcesserunt donatarii merita, præsumitur donationem animo remunerandi factam fuisse. Et ex *Si vero non remunerandi, §. Idem Papinianus, ff. mandati*, & ex aliis multis probavi, hoc l.6. disp.6. n.3. Sic docent *Jo. Lup. rubr. de don. §.45 n.13. Menoc. de præsumpt. l.3. præsump. 26. n.1. & conf.81. n.51. vol.1. Gutierrez 2. practic. q.120. fine Mol. t.2. de just. tr.2. disp.430. post 4. conclusionem*, ubi bene addit, si obsequia de communibus bonis essent præstita, aut beneficium collatum, censeri communę utrique conjugi, sic donatum, nil impediente si urbanitatis, aut honoris causa ad uxorem mittatur. 7

5. Videtur certum, quando mariti benemerita præcedunt erga donantem uxori, donum factum uxori, acquiri marito. Verbi gr. vir est medicus, magnamque curam adhibuit medens viro morbo laboranti, vel est causidicus, ac procurator negotii alicujus viri, tunc si hic mittat donum uxori, absque dubio id acquiretur marito. Quia manifesta est conjectura voluntatis donandi marito, in remunerationem obsequii exhibiti, vel saltem ad ejus benevolentiam captandam, ut sedula cura illud negotium exequatur. Sic in simili casu probat textus *l. Profectitia ff. de jure dot. & ibi gl. in principio, & Bald.* dum dicunt esse dotem profectitiam, quam aliquis filiæ constituit ob patris benemerita, quasi ex bonis patris provenientem. Sic *Menoch. ea præsumpt. 26. prox. cit. n. 3.* Et in simili casu, docet idem *Jo: Lup. rubr. de don. §. 45. n. 19.* 8

6. Certum est quando constat de donantis voluntate, cui voluerit acquiri donum, illius effici. Cum enim acquisitio ex donantis voluntate pendeat, dum de illa constat, illi standum est, nec ad conjecturas recurrendum. Et ita fatentur omnes. 9

Tota ergo difficultas versatur in hoc, an quando vere sumus in dubio, cujus contemplatione consanguinei viri donent uxori, vel consanguinei uxoris donent viro, & utri illorum voluerint donum acquiri, sit sufficiens conjectura, consanguinitas alterius, ut censeatur illius contemplatione donatum, & ipsi voluisse donantem acquiri, quod alteri ejus conjugi donavit: & proinde soluto matr. donum illud esset conjugi consanguineo, ac ejus hæredibus restituendum? Duplex est sent. 10

1. Ait, licet in hoc dubio præsumatur donationem fieri contemplatione conjugis consanguinei, vere tamen ipsi non acquiri, sed conjugi donatario, quare soluto matr. minime restituendum esse. Prob. ex *l. Si servus communis 39. de don. inter vir. & uxorem*, ubi expresse habetur, si vir donet uxori rem suam, & duorum fratrum ejus simul, videntibus ac consentientibus fratribus, non valere pro tertia parte quæ est viri, validam tamen esse donationem pro duplici parte fratrum viri, & concludit textus ex duabus partibus, reliquis nihil debere mulierem reddere. Ex quo textu sic arguo, hæ duę partes donatæ sunt uxori, a fratribus viri, & acquiruntur uxori, & non viro, cum textus dicat fuisse validam donationem uxori factam, ergo donata a consanguineis viri uxori, non viro, sed uxori acquiruntur. 2. quia si socrus donet nurui, valet statim irrevocabiliter donatio. Ut expresse habetur *l. Si te in vacuum, 2. §. de don. inter vir. & uxorem*, & similis casus habetur *l. Si mater, & l. Si constante, C. de don. ante nupt.* ergo donata a consanguineis viri, uxori, acquiruntur uxori. 3. probatur, ex doctrina *Bart. l. Si vero, §. 1. ff. fol. matr.* & communi, ubi, docent, quia de more est ut detur ambasciatoribus, & donum contemplatione mittentis traditum, ipsis & non mittenti acquiri. Sed similiter consuetudo habet, ut viri consanguinei dona mittant uxori: ergo licet viri contemplatione mittantur, acquirentur ipsi uxori. 4. quia *l. Sed si plures, §. In arrogato ff. de vulgari*, cui potissimum contraria sententia innititur, ejus intentum minime probat: quia dispositum in ea, ut quicquid arrogatus filius contemplatione arrogatoris, donatione acquirit, videatur arrogatori acquisitum, provenit ratione patrię potestatis, ob quam filius patri acquirit: unde nemo diceret donum datum filio sui juris effectę, patris contemplatione, acquiri patri. Similiter si ego essem amicus Petri, & alter ejusdem Petri amicus, ejus contemplatione mihi vas argenteum donaret, mihi prorsus acquireretur: ergo similiter cum uxor possit sibi acquirere, nec sub viri potestatem sit quoad lucrorum acquisitionem, si quid sibi a viri consanguineis, ejus contemplatione donetur, suum efficietur. Ultimo prob. ex *l. finali C. de usu & usufr. fi.* ibi, *cum plerumque verisimile sit testatorem contemplatione magis filii, quam patris usumfructum filio reliquisse* Ubi *gl. finalis*, inquit in dubio potius filii contemplatione relictum præsumi. Idem *Bart. ibi*, ponderatque illud verbum: Verisimile; quod enim verisimile est, non est certum, sed dubium: ergo similiter in nostro casu, in hoc dubio donata uxori a viri

viri consanguineis, non præsumentur ita viri contemplatione donari, ut ipsi acquirantur. Et hæc sententia est valde probabilis: & eam tenent *Bald.cons.3.16.n.2.vol.4.Salicet.l.Nec inter, C.de don. inter vir. & uxor. & l. Si jponsui, §. Si de don.ff. de eodem tit. Cumanus l. Sed si plures, §. In arrogato, n. 4. fine ff. de vulga. Angel. & Roma.* quos refert *Jason ibi, §. Ad substitutos, nu.* 8. & cenere videtur *n. 9.* esse probabilem, tantum enim oppositam dicit esse tutiorem. Eamdem tenent *Franc.Aretin. l. Si pater, §. In arrogato, nu. 9. ff. de vulg. Alciatus de præsum. reg. 1. præsumpt. 18. per totum, & ibi Nicol. ejus additionator: Zasius l. 2. intellect. fing. n. 9. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 26. nu. 17. Manuel Mendoz. l. Cum oportet, 1. p. verb. Ex ejus substantia, n. 9. C. de bonis quæ l. Avendanno l.29. Tauri, gl. 4. n. 10. & 14 Caldas l. Si curatorem, verb. Læsis, num. 117 C. de in integr. restit.* & favet huic sent. *gl. l. Ut liberis, verb. In ipsos, C. de collatio.*

11 II. Sent. quam veriorem reputo, docet in dubio donata a consanguineis viri uxori, censeri donata viro, & sic soluto matr. esse viro, vel ejus hæredibus restituenda: & e contra, donata viro a consanguineis uxoris, censeri donata uxori, ipsique esse soluto matr. vel ejus hæredibus reddenda. Probatur ex *l. Sed si plures, §. In arrogato, fine ff. de vulg.* ibi, *& si quid beneficio arrogatoris acquisivit, & hoc substitutum posse habere: ut puta, si arrogatoris amicus, vel cognatus ei aliquid reliquit:* ubi patre instituente arrogatum, & ei substituente pupillariter alium, mortuo arrogato, habebit substitutus bona quæ arrogatus habuit ab arrogatore, ejusque cognatis, & amicis. Quia arrogatoris contemplatione sunt acquisita: & per consequens sunt ipsius: ergo similiter in nostro casu, cum ratione conjugis consanguinei videantur alteri acquisita, cum nulla alia conjectura sit aliud præsumendi, censebuntur donata ipsi conjugi consanguineo, licet alteri ejus conjugi donentur. 2. probatur, ex *l.Si quid eorum, in principio, vers.Ex quibus, ff. de legat.* 3. ubi si vir legavit uxori quæ sui causa comparata sunt, in hoc legato comprehenduntur quæ socer nurus nomine comparavit, ergo non erant ipsius uxoris, sed viri 3. probatur ex *l.Additio, ff.de acquir. hæred.* ubi acquisita alicujus contemplatione, dicuntur acquiri ex re ejus. Tandem, quia cum nulla sit ratio donandi illi uxori, non est cur præsumatur illi datum a consanguineis viri, sed taliter datum, ut acquiratur ipsi viro: & e contra: cum tota donandi ratio sit illa consanguinitas. Hanc tenent *Bart.d.l.Sed si plures, §. In arrogato, n.4.* ubi *Alex. n.13. Paul. ibi, §. Ad substitutos, n.4. Jason. eod. §. Ad substitutos, n.9.* dicens esse tutiorem, & durum, in practica ab ea recedere: & eam tenet *idem Jason. l.Ut liberis, n.17. C de collat.* dicens esse communem *Abb. c. Quia plerique, n. 36. de immunit. Eccles. Jo: de Imola l. Si pater, §. Ad substitutos* (ibi enim hunc §. legit) *n.7.ff.de vulg. Angel. instit. de action. §.Fuerat n.26 Antonius, Decius, Co neus, Barbatius, Ruinus, Decisio Rotæ,* quos refert *Menoch. de præsumpt.l.3.præsumpt.26.n.13. Cagnolus l. Contractus n.38. ff. de reg. jur. Jo: Lup.rub.de don. toto §.45. Roland.cons.10.n.10. & 11. vol. 1. Montravus l.9.fi.t.5.p.6. Rosella Donatio 1.n.39. Syl.Donat.2.q.5. Nav. summa c.17. n. 165. Ant.Gom. l. 52. Tauri, n.67. Julius Clarus* dicens communem, *l.q. recept. verb Donato, q. 10. vers. Sed nunquid ea. Ant.Gabr. in mea edit. t.2.commun. l.17.f.311.col. 2. verb. jponsæ, Mascardus de probat.concl.564.n.5.6.7.Jo:Gutier. 2.pract.q.120.n.9. Jo: Garzia de conjugali ac quæstu, v. 116. Azora de partitio. 1. p. c.8. n.19.* Et ex Theologis, *Molina t. 2. de justi. tract.2. disp.430. conclus.2. Lud.Lop. lib.2. de contract. c.47. §.Sed his donationibus.*

12 Intelligo hanc sententiam, licet a consanguineis alterius fiat utrique conjugi simul donatio: adhuc enim facta censetur consanguinei intuitu, & ut illa acquiratur. Sic *Ant.Gom. l.52.Tauri, n.67. Gutier.2.pract. q.120.n.9.*

13 Hæc tamen sent. aliquibus modis est temperanda: 1. nisi princeps, vel augusta, vel eos repræsentans donaret aliquid uxori sui consanguinei, tunc enim acquireretur ei cui donatio fit: per *l.Cum multa C.de bon. quæ libe.* Non enim censentur hi alterius contemplatione donare. Sic *Bart.cons.11.n.1.2. Menoch.de præsumpt.l.3.præsumpt.26.n.11.* Ceterum quando ob viri obsequia princeps donaret aliquid uxori, credo viro acquiri in dubio. Censetur enim donare in remunerationem. Ut in simili docet *Jo:Lup.rubr.de don.§.45.n.19* ubi dicit acquiri patri, donatum filiæ per principem, ob patris servitia. 2. Limita, nisi aliud habeat consuetudo: si enim consuetum sit ut consanguinei viri dent uxori, & e contra, acquirit res donata ei conjugi cui donatio fit. Sic *Bald. l. Cum te n.3. C. de don.ante nupt. Paulus, l. Sed si plures, §.ad substitutos, n. 4. ff. de vulg.* favet *Castillo l.52.Tauri n.15.* ubi consuetudinem servandam esse docet. Sed hæc limitatio sano modo intelligenda est, nimirum quando consuetudo non tantum est sic donandi, sed ut sic donata acquirantur ei conjugi cui donantur. Nam in dubio semper donatio videtur esse facta secundum loci consuetudinem: juxta *Baldum l.2.C. de iure dot.* Sic *Alex.l.Sed si plures, §.In arrogato n.13.ff.de vulg. Jo:Lup.rubr.de don.§.45.n.12.& 13. Roland. cons.10.n.11.init.vol.1. Menoch.* alius referens *de præsumpt.l.3.presumpt.26.n.10. Jo:Garzia de coniugalia aequestu n.122. Gutier.2.pract.q.120.n.13. Azebedo l.5.recop.t.9.l.3.n.10.*

14 3. Limita, dummodo in donatione mentio fiat affinitatis: Verbi gr. Do Mariæ uxori consanguinei mei, vel quia nupta est Titio; tunc enim viri contemplatione censetur facta, ipsique acquiritur: secus mentione viri minime facta; ut Do Mariæ vel Mariæ nuptiæ. Prob. doctrina *Bartoli l.fiscali, ad fin. C.de usu fruct. & l.Cum aliquis, n.3.C. de iure deliber. & ibi Alex. & Jasonis n.2.* & aliorum quos refert & sequitur *Caldas l. 3. curatorem, verb.Laesionum 115.C.de in integ. restit.* ubi docent relicta filio, non censeri patris contemplatione relinqui, nisi mentione facta patris, & patriæ potestatis: ergo idem dicendum est in nostro casu. Sic docet *Angel. de Perusio, l.Sed si plures, §.Ad substitutos, ff.de vulga. Jo: Garzia de conjug.acquestu n.108.117.118.* Sed hæc limitatio rejicienda est: parum enim refert, sive mentio affinitatis fiat, sive non: cum enim non sit alia ratio donandi, nisi consanguinitas alterius conjugis, semper illius contemplatione in dubio præsumitur donari. Nec obstat doctrina Bartoli, & aliorum, quia ea intelligitur cum non est aliqua conjectura præsumendi donationem fieri contemplatione patris: Ut si donet filio aliquis extraneus, tunc enim ut conjectura acciperetur præsumendi donationem fieri patris contemplatione, oporteret non tantum facere mentionem patris, tunc enim cenleretur poni causa demonstrationis, *l his verbis, fine, ff.de hæred.instit.* sed etiam patriæ potestatis, ut tibi filio Titii quia es sub patris potestate. Et sic *Bart.l.fi.C. de usufruct.* se explicat dicens, quando non est alia conjectura, ut *l.Sed, si plures, §.In arrogato, ff.de vulgar.* Quare ea doctrina non habet locum ubi est alia conjectura, ut qui amicus, vel consanguineus patris, vel mariti donat. Et sic eam limitationem rejiciunt *Alex. de Imola, d.§. In arrogato n.13.Franc.Aretin.l.Si pater, §.In arrogato, (ubi illum §.explicuit) n.9.vers. Quarto nota, & Jo: de Imola ea l. Si pater §. Ad substitutos n.11.ff. de vulgari. Jo: Lup.rubr.de don.§.45.n.7. Gutier. 2. pract. q.120. n.9.* Addit bene *Jo: Lup.* si fiat mentio uxoris parum referre, præcedat nomen proprium ipsius uxoris, ut Mariæ uxoris, vel nomen uxor, præcedat, ut uxoris Mariæ: ipsumque sequitur *Joan. Lup. Menochius de presumpt. lib. 3. præsump. 26 num. 5.*

4. Limita, nisi res donatæ conjugi a consanguineis alterius, 15
sint aptæ soli conjugi cui donantur: tunc enim illi acquirunt. Verbi gr. si consanguinei mariti, dent uxori ornamenta solis feminis convenientia: vel consanguinei uxoris, viro, res solis viris convenientes, ut arma, equum, vestes viriles. Prob. nam propria & vera regula interpretandi in dubio testantium & aliorum contrahentium dispositiones, est ut intelligatur juxta rei & subjectæ materiæ naturam & conditionem. Ut bene tradunt *Cov.pract.c.38.n.12.vers. Quod si dixeris, Mantica de conjectt.ult.vol.1.6.tit.12. n.5. & 4.* idque confirmat, nam licet legatum Episcopo ab ejus consanguineis, censeatur intuitu personæ relictum, *c. Requisiti, de testam.* at si esset res Ecclesiæ conveniens, ex qualitate rei donatæ præsumeretur contemplatione Ecclesiæ relictum: & e contra relictum Episcopo ab extraneo censetur contemplatione Ecclesiæ, at si res non esset apta Ecclesiæ, ut faleo, vel canis, censeretur respectu personæ: ut docet communis sententia, *d.c.Reliquisti*, ergo idem in nostro casu dicendum est. Secundo, nam in donatis ambasciatoribus, seu legatis, communis est Bartoli, & aliorum distinctio, quos refert & sequitur *Menoch. de præsumpt.l.3.presumpt.27. n.2. & 3.* ut si talia sint, ut potius conveniant ipsi, quam Principi mittenti, censeantur ipsis acquiri, ipsorumque contemplatione donata: secus si potius conveniant Principi mittenti: ergo. Sic tenent *Bart.cons.11.12. n.3. Ang. de Perusio, l.Sed si plures, §. Ad substitutos, ff. de vulgari, Mascard. de probat. conclus.564.n.7.Gan.2.practic. q.120. n. 14.Azebedo l.5.recop.t.9.l.3.n.10.* Non tamen convenit inter hos doctores quid dicendum sit quando res donata est indifferens utrique sexui: ut vas argenteum, tela serica ex qua vestes utrique sexui confici possunt. Nam *Ang.* ibi censet esse conjugis consanguinei, cujus contemplatione alteri donatur, dummodo maneat res in eodem statu, id est, tela illa incisa non fit, & fiat in donatione mentio affinitatis. Idem *Azebedo eo n.* 10. absque hac 2. limitatione, *Bart.* vero *eod.n.3*, censet esse communem utrique conjugi: quia datur ratione matr. quod est quædam societas, *l.1.ff.de ritu nupt.* & ita ratione societatis, & ut illi acquiratur: per *l.Si socium, in fine, & l.Verum §. Si servo, in fine, ff. pro socio.* At *Gutier. eod. n.14.* dicit acquiri conjugi consanguineo donatoris, cujus contemplatione donatur: & intelligit priorem limitationem, nisi consanguinei vel amici mariti res uxori convenientes donassent ad sublevandam ipsius mariti inopiam. Et hæc limitatio sic intellecta, est valde probabilis. Probabilius autem credo, non esse admittendam hanc limitationem: sed sive res conveniant soli viro, sive soli uxori, sive utrique communes sint, acquiri conjugi consanguineo, cujus contemplatione alteri donantur. Ducor, quia adhuc intuitu conjugis consanguinei donantur, & nulla est conjectura sufficiens ut credatur voluisse donatorem aequiri sexui, cui ea dona conveniunt. Nam si conveniant soli uxori, videntur viri consanguinei donantes voluisse consulere mariti utilitati, qui de iis rebus uxori providere tenebatur: si vero sint uxoris consanguinei, qui viro donarunt res ei soli convenientes, licet uxor non teneretur de his providere, ac expensis communibus providendum erat, atque ita negari nequit, quin donatio in uxoris utilitatem cedat, & sit ipsius contemplatione, & ut ipsi acquiratur, facta. Et ideo prædictam limitationem rejiciunt *Jo: de Imola, I Si pater, §. Ad substitutos n.12.ff.de vulg. Alex.l.Sed si plures, §.In arrogato n.13.ff. eodem tit. Jo: Lup. rubr. de don. § 45. n. 8. & P. Roland. consil. 10. num. 11. lib. 1. Joan. Garzia de conjug. acquestu, num. 119.* Nec obstant

obstant rationes oppositæ. Nam prima, quia Episcopus non tenetur Ecclesiæ de suis bonis providere, nec quod Ecclesiæ donatur, cedit in Episcopi utilitatem, cum bona sint omnino distincta; quare non mirum est, si in iis donis conjectura accipiatur ex rei donatæ qualitate, an conveniat Episcopo, vel Ecclesiæ. Quare ea regula, quam tradunt *Cov. & Mantic.* intelligitur ubi non est alia opposita conjectura. Nec obstat secunda ratio de ambasciatoribus. Quia ambasciatores consueverunt remunerari, & ita nisi ex qualitate rei donatæ accipiatur conjectura contrariæ voluntatis donantis, præsumitur illis donari.

16 5. Limita, si donent consanguinei superstite consanguineo conjuge, nam si illo defuncto donent alteri conjugi, donatio efficietur illius conjugi cui fit. Quia quoties aliquid fit contemplatione, & favore alicujus, cessat contemplatio, & favor illo defuncto. Ut late *Tiraquell. tract. de cessante causa, nu. 107. Sic Azebedo l. 5. recop. tit. 9. l. 3. n. 12.*

17 Quid autem dicendum sit de donatis a socero nurui? dixi disp præcedenti, n. 32. & sequentibus.

18 Tandem dubitatur, an retenta hac opinione, ut donata uxori a consanguineis viri, censeantur viro donata, si vir conscius minime revocet, censeatur illum ea res donare uxori, talique donatio morte viri confirmetur, & instar ceterarum donationum, quæ inter conjuges fiunt? Aliqui censent partem affirmantem. Cui autem fundamento innitantur, ignoro. Sic docent *Paul. l. Sed si plures, §. Ad substitutos, n. 4. ff. de vulga. Joan. de Immola, l. Si pater, §. Ad substitutos, n. 11. ff. eodem tit. Ant. Gomez l. 52. Tauri, n. 67. Manuel Mendez l. Cum oportet, 1. p. verb. Ex ejus substantia, nu. 9. C. de bon. quæ liber. Joan. Garzia de conjugali aquestu, num. 106.*

19 Sed verius est, non censeri virum donare uxori, licet ratam haberet eam consanguinei donationem, & ita morte viri minime eam confirmari. Prob. quia in dubio non præsumitur donatio, *l. Cum de indebito ff. de probat.* ut dixi disp. præc. n. 10. ubi probavi, non præsumi donationem ex traditione per virum facta uxori, vestium pretiosarum: ergo cum hic nulla adsit conjectura sufficiens ad præsumendam donationem, ea in dubio præsumenda non est: nec sufficiens erit, permittere & ratum habere ut uxori tradatur, cum minus id sit, quam si vir ipse traderet, per quod non præsumitur donatio. Deinde, nam quoties ex actu aliquo conjectura alia quam donationis accipi potest, non præsumitur donatio (ut probavi disp. præc. n. 10.) sed ex ea ratihabitione potest sumi conjectura voluntatis viri, ut res ea tradatur uxori ad usum: ergo non præsumitur donatio. Tandem quia læpe vir ignorabit ea dona ad se pertinere, quare voluntatis donandi præsumptio minime capi poterit. Sic tenent *Joan. Lupus referens decisionem Rotæ rubr. de don. § 44. fin Gutierez 2. pract. q.120. n. 2. 11 & 12. Mol. tom. 2. de justi. tr. 2. disp. 340. concl. 4.*

20 Ad argum. prioris sent. proposita, n. 10. resp. Ad 1. dic esse diversum casum: quia in eo casu intentio viri fuit ut servus ille communis omnino daretur uxori, si quidem ipse dedit consentientibus fratribus: quare videtur etiam ea intentio donantis esse dubia. Ad 2. dic illas leges non tendere ad decisionem casus nostri, nempe, in casu dubio cujus contemplatione censeantur donata, & cui acquirantur: sed an sicut erat prohibita donatio inter conjuges, sic inter conjunctos eorum: & definiunt non esse, sed valere ratim. Vel secundo dico, intelligi quando constat de intentione donantis esse, ut remaneant illa dona uxori. Ad 3. respondetur, ambasciatoribus esse consuetum donari, ut ipsis acquiratur, in remunerationem legationis: conjugibus autem licet consuetum sit ut a consanguineis alterius conjugis donetur, id non esse, ut donatario conjugi acquiratur, sed conjugi consanguineo donantis, cujus contemplatione donatio fit. Ad 4. iateor filium emancipatum non acquirere patri donata ipsius patris contemplatione, nec similiter in alio casu proposito in 4. argum. at ibi id evenit, quia is filius est jam omnino a patre sejunctus, & quasi persona extranea: & idem dico in alio casu proposito, & ut vulgo dicitur *hazen ranco por si*, & sic donans illis videtur ea mente affectus, ut ipsis acquiratur: cum norit nihil commune habere cum patre, vel cum alio amico. Conjuges autem sunt una caro, cissemque expensis vivunt, bonorumque societatem habent, & quod alteri donatur, cedit in utriusque commodum, & ita in illis merito consideratur cujus contemplatione donum acquisitum sit ad discernendum donantis animum qui voluerit acquiri: non autem in casibus propositis. Ad ultimum respondetur, illam legem procedere, quando non est alia conjectura præsumendi contemplatione patris donari: ut dixi num. 14.

21 Quæstio II An donata a consanguineis sponsi, jponsæ, vel econtra, ante consummatum matr. censeantur sponsalitia largitas, & more illius acquirantur? Quæstio hæc locum habet, retenta 2. sentent. quam amplexi sumus, num. 11. ut donata a consanguineis sponsi, vel sponsæ, censeantur donata sponso, & ipsi acquirantur: & econtra. Nam si teneamus 1. sentent, relatam, num. 10. afferentem ipsi donatario acquiri, non erit sponsalitia largitas. Cum hæc tantum sit quæ ab ipso sponso procedit. Duplex est sent. 1 ait esse sponsalitiam largitatem, & more illius acquiri. Ducitur, quia consanguinei sponsi donantes sponsæ, censentur donare sponso, & sponsus sponsæ, & econtra, quando consanguinei sponsæ donant sponso, censentur donare ipsi sponsæ, & sponsa sponso: ergo erunt ea dona, sponsalitia largitas. Quia quæcumque donata inter sponsos ante consummatum matr. censentur sponsalitia largitas (ut dixi disp præced. n. 30.) Hanc tenet *Joan. Lup.* aliquantulum dubius, *rubr. de don. §. 45. n. 19.* & absque ea dubitatione affirmat *idem Joan. Lup.* addens idem esse de donatis ab amicis sponsi, sponsæ, vel econtra, *l. 52. Tauri, n. 11. Castillo, ibi n. 8. Azebedo l. 5. recopi t. 2. l. 4. nu. 17. Joan. Garzia de conjug. ac questu num. 107*

II. Sent. (cui adhæreo) ait non esse sponsalitiam largitatem, & ita minime acquiri per osculum, aut copulam, sed semper esse illius cui præsumitur donatio facta. Ratio est, quia in dubio non præsumitur sponsum ea sic donata velle sponsæ donare, nec econtra: ut satis probavi n. 16. unde non sibi constat *Joan. Lup.* quem ibi retuli, nam eo loco dicit hanc non esse donationem: cujus contrarium asserit loco quem n. præcedenti retuli. Ita tenent *Gutier. 2. pract. q. 120. num. 10. Molina tom. 2. de just. tr. 2. disp. 430. conclus. 3.* 22

Tandem monuerim, id quod datur a consanguineis, vel 23
aliis pro ipsis sponsis, habere tacitam conditionem, si matr. sequatur: sicut sponsalitiæ largitati ea inest tacita conditio, per *l. Cum veterum C. de don. ante nupt.* Ita docent *ibi Cynus*, sic extendens illum textum: *Joan. Lup. rub. de don. §. 3. n. 5. Castillo l. 52. Tauri, n. 8. Gom. Arias l. 50. Tauri, num. 3.*

DISPUTATIO XXVII.

Quæ sit arrharum natura, quo pacto acquirantur, & an dentur in præmium virginitatis, ita ut quæ virgo non est, si talis credebatur a viro, teneatur arrhas restituere?

SUMMARIUM.

Arrhæ quid sint, num. 1. Et ibi remissive, quando acquirantur, & an distent a donatione propter nuptias, & an uxor simul cum sponsalitia largitate eas acquirat, & quid, si est putativa.

Quot sint quæstiones disputandæ, num. 2.

An arrhæ detur in præmium virginitatis, restituendæque sint ab ea, quæ virgo non est, Refertur opinio affirmans, in sponsalitia largitate, & in aliis donatis per sponsum sponsæ, 3.

Contraria auctoris, tam in arrhis, quam in sponsalitia largitate, 4.

An si viduus constituat dotem feminæ, credens eam esse virginem, teneatur ea, si virgo non sit restituere, num. 5. junctio num. 3.

Verba posita in contractu, quando aliud non exprimitur, intelligunturque secundum juris dispositionem, 5.

Solvuntur argumenta, n 6. Et ibi, verba apposita in contractu ex tabellionum usu an aliquid operentur. Et enodatur l. Res uxoris, C. de donat. inter vir. & uxor.

An peccet femina virginitatem simulans, remediisque utens, ut virgo apparet ut sic nubat, & qui tale matr. defectus virginitatis conscii procurant. Proponuntur argumenta ad probandum peccare: & refertur quædam opinio, 7.

Non peccat hæc puella contra justitiam, 8.

Nullo modo, peccat quando certum est virum non perceperum id vitium, vel si percipiat, forte ut non valde ægre ferat, 9.

Si est probabile fore ut vir sciat, & valde ægre ferat, peccat leboliter contra charitatem, num. 10. Et solvuntur argumenta, 11.

UTultimam huic libro manum imponamus, superest agere 1
de donatione inter conjuges, quam Hispani *arrhas* appellant. In quo tractatu hic ordo servandus est, 1. de natura ipsa arrharum, & quando ob causam dentur, qualiterque acquirantur, & quo tempore constitui possunt, disputandum est 2 de quantitate in qua constitui possunt, & an extrahendæ sint de toto bonorum corpore, vel de ea parte de qua potest vir in præjudicium ascendentium, vel descendentium libere disponere. Et an maritus cui integra dos non fuit solvitur, teneatur integras arrhas solvere. 3. quis possit arrhas promittere. Tandem, qualiter possit soluto matr. de arrhis disponere.

Supponendum est, jure communi accipi arrhas pro ea re 2
quæ traditur inter sponsos, in signum & pignus matr. futuri, De quib. arrhis late disputavi, l. 1. disp. 35. & seqq. In Hispania autem accipiuntur arrhæ, pro donatione quam facit sponsus sponsæ, vel maritus uxori, in præmium dotis receptæ, vel nobilitatis, vel pudicitiæ sponsæ, quam ipsa soluto matr. lucratur: ut dixi hoc l. 6. disp. 1. n. 1. ubi etiam explicui, qualiter differant a donatione ante nuptias. Acquiruntur autem per matr. consummationem, tunque uxoris efficiuntur: ut dixi hoc 6. l. disp. 22. n. 18. Utrum, autem uxor putativa ea lucretur, dixi hoc 6. l. disp. 20. n. 3. Si autem arrhæ, & sponsalitia largitas adsint in matrim. an uxor utraque acquirat? dixi hoc 6. lib. disp 22. num. 1. & sequentibus.

Duo autem potissimum hic vertuntur in dubium. Alte- 3
rum est, an dentur in virginitatis sponsæ præmium, aliterque restituendæ sint? Alterum, an peccet mulier virginitatem simulans, ut nubat?

Quæst. I. An arrhæ dentur in virginitatis sponsæ præmium, & 4
proinde sponsa credita virgo a sponso cum tamen virgo non sit, teneatur eas restituere? Affirmant aliqui. Ducunturque, quia in contractu arrharum stylus tabellionum haber dicere, *os sefalo essas*

estas arras por razon de vuestra virginidad: cum ergo virginitas sit causa finalis hujus donationis, evanescet ea existente falsa. Nam causæ finalis falsitas annullat donationem, *l. 2. §. fi. ff. de don.* ubi per *Bart n. 1.* & alios scribentes, conhr. quia tanta donatio procedit errore, quo sponsus eam esse virginem putabat, & si nosset virginem non esse, minime daret, nec eam duceret, error autem tollit consensum, *l. Nihil ff. de reg. jur.* ergo talis donatio tanquam involuntaria est nulla. Secundo probatur, dari in virginitatis præmium, ex *l. Res uxoris, C. de don. inter vi. & ux.* ibi *quia pudicitiæ præmio cessit;* ubi *Bald. in fine*, ait donationem factam per virum uxori, præsumi heri in pudicitiæ præmium. Unde *Jo: Lup. rubr. de don. §. 12. n. 1. Gom. Arias l. 49. Tauri n. 8. Padilla auth. res quæ, n. 31. C. communia, de leg. at.* dicunt arrhas præsumi dari in præmium detrimenti virginitatis, quod per matr. sponsa patitur. Quod idem significant *Cov. 4. decret. 2. part. c. 3. §. 7. n. 12. Villalobos in communibus opin. lit. A. verb. Arrha, n. 251. Ant. Gabr. in mea edit. t. 1. commun. l. 1. verb. Arrha, fol. 57. Lud. Lop. 2. p. instruct. de matr. c. 36. fin.* dicunt enim arrhas dari in pudicitiæ præmium: ergo cessante pudicitia, & virginitate, irrita erit donatio. Sed dices, arrhas posse dari viduæ, & ita corruptæ: ut expresse probat *l. 1. t. 2. l. 3. fori*, fateuntque omnes. Hoc tamen non obstat: licet enim possint viduæ, & corruptæ dari, at dum donans ignoravit se corruptæ dare, præsumitur donatio facta in virginitatis præmium: ut fatentur *Jo. Lup. & Gom. Arias proxime citati.* Et in terminis hanc sent. tenet *Castillo* loquens de sponsalitia largitate, atque alius donatis per sponsum sponsæ: *l. 52. Tauri, super gl. Antes de consunido, n. 20. vers. Ex qua ratione*, ubi hæc ait, *teneo indubitanter quod si sponsa fuit prius ab alio cognita, quod sponsus ignorabat, non lucratur jocalia data a sponso: nam dotium sponsæ intelligitur datum in præmium pudicitiæ.* Faciunt pro eadem sententia aliqui Doctores asserentes, si viduus feminæ quam ducit, dotem constituat, credens esse virginem, alter nullatenus constituturus, nec cum ad ipsam accessit, novit virginitatis defectum, teneri eam feminam quæ vere virgo non est, dotem restituere: & similiter si cognito defectu dotasset, non tamen ita ample, teneri excessum illum restituere. Sic *Corduba sum. q. 135. Lud. Lop. 1. par. instruct. c. 76. §. Præterea consequenter, Vega l. 1. jum. casu 387. Manuel l. 1. summæ, 2. edit. c. 208 n. 12.* ubi addit caute dixisse hos Doctores, si vir non novit defectum, dum ad sponsam accessit. Quia si tunc novit, & vitam maritalem agat, censetur injuriam remittere, & denuo dotare.

4 Ceterum hæc sent. mihi displicet: & credo arrhas minime dari in virginitatis præmium: nec restituendas esse ab ea quæ vere virgo non est, licet a marito virgo crederetur. Ducor, quia nullo jure probatur arrhas dari in virginitatis præmium: imo ita possunt dari viduæ, sicut virgini, & alteri corruptæ: ut probat *l. 1. t. 2. l. 3. fori*, & docent *Greg. Lop. l. 87. verb. Segun fuero, t. 18. p. 3. & l. 1. verb. En España, ad fi. t. 11. p. 4. Ant. Gom. l. 52. Tauri, n. 13.* Unde *Cov. c. Officii, n. 4. de test. & 2. var. c. 6. n. 7. & Futtir. 1. pract. q. 124. n. 2.* dicunt dari in præmium pudicitiæ virginalis, vel vidualis. 2. quia *l. 87. t. 18. p. 3.* ubi describitur forma instrumenti donationis arrharum; non continentur ea verba, quæ communiter tabellionis apponere solent, in honorem virginitatis: sed tantum, *por razon del casamiento.* Quam contra usum hunc tabellionum, expendit *ibi Greg. Lop. voc. Segun fuero, & l. 1. verb. En España ad fin. c. 11. p. 4.* Unde *Baeyrez, l. 3. fori, t. 2. de las arras, l. 1. n. 1.* optime dicit, arrhas promitti uxori in honorem virginitatis, vel propter ipsius viri honorem: esseque imperitorum tabellionum errorem in contractu apponere promittit. In honorem virginitatis: cum id necesse non sit, sufficiatque simplex promissio, & datio arrharum: ergo, quæ non est virgo, minime tenetur arrhas restituere. 3. quia ut cessante causa cesset effectus, oportet omnes causas cessare: ut optime *Bart. l. 2. §. fi in fi. ff. de don.* & latissime *Tiraq. tr. Cessante causa, tota limitatione 16.* Quamvis autem virginitas esset causa hujus donationis, at non ea sola est. Unde *Castillo l. 52. Tauri, n. 2.* ait dari ratione dotis, vel matr. contracti. Et *Ant. Gom. l. 52. Tauri, nu. 12. & Mat. l. 5. recop. t. 2. rubr. gl. 3. n. 6.* dicunt arrhas dari in remunerationem dotis, vel virginitatis, vel nobilitatis sponsæ. Et *Azeb. l. 5. recop. tit. 2. l. 1. n. 26. & l. 2. n. 9.* ait dari in præmium virginitatis, vel nobilitatis, vel alterius causæ. Et *Baeza de non melior. fil. c. 5. n. 19.* ait dari in præmium pudicitiæ quam viro prostituit uxor, & in præmium dotis, & ut aliquid accipiat ipsa a viro. Et *Gut. 2. pract. q. 18. n. 4.* ait dari in recompensam nobilitatis, vel virginitatis. Et *Valasçus cons. 16. n. 6. t. 1.* ait censeri datas arrhas in compensationem dotis, & honoris mulieris, *& cons. 2. n. 4.* dicit esse imperitum notariorum apponere, ob virginitatis honorem, & secundum hodiernos mores eam solum donationis arrharum causam attendi, ut uxor ditior sit ad sustinendam vidualem vitam, in qua præsumitur fore ut permaneat. Et tandem *Mol. t. 2. de iust. tr. 2. disp. 431. 6. Dubium est quam ob causam*, fatetur ad nullam causam restringi arrharum donationem: ergo quamvis esset virginitas, non evanescet ea donatio. 4. quia arrhæ succedunt in Hispania loco donationis propter nuptias, ut dixi hoc l. 6. disp. 1. n. 1. ubi etiam dixi donationem propter nuptias dari in præmium dotis uxoris, & esse quasi dotem viri: ergo similiter arrhæ sunt proprie donatio in præmium dotis. 5. quia ubi non est error in principali causa donationis, sed in aliquibus circumstantiis, licet ea tales sint, ut si cognitæ essent, a tali donatione retraherent donantem, velletque donationem non valere: adhuc non vitiatur donatio. Ut optime alios referens explicat ac probat *Mol. tom. 1. de just. tr. 2. disp. 209. fol. 1281. & seq.* Verbi gratia, si quis paupertate motus donet alicui eleemosynam, ignorans eum esse infidelem, quod si nosset, non daret, imo vellet donationem esse nullam, si vere pauper est, valet donatio eleemosynæ. At in nostro casu causa principalis & finalis donationis arrharum, non est virginitas sponsæ, imo ea est impertinens: ergo error in circumstantia virginitatis, non vitiat donationem, licet si cognitus esset defectus, retraheret a donatione. Eadem ratione non tenetur sponsa quæ virgo non est, sponsalitiam largitatem restituere. Quia nullo jure probatur dari ob sponsæ virginitatem.

5 Hinc infertur, minus bene dixisse DD. cit. n. 3. fin. viduum constituentem dotem feminæ, eo quod putabat eam virginem esse, alias non constituturum, invalide donare, si ipsa virgo non fit: & ipsam teneri restituere. Prob. quia (ut dixi hoc l. 6. tota disp. 7.) vir non potest dotare uxorem, sed erit donatio prohibita inter conjuges, nisi ob inter ipsos disparitatem, at quod vir sit viduus, & ipsa virgo nullam disparitatem constituit, & ita hæc non est sufficiens causa dandi dotem, & proinde error hujus causæ, cum non sit legitima, nec substantialis, non vitiabit donationem: ut n. præced. fine probavi: sed legitima causa est, si ipse sit senex, & ipsa juvencula, vel ipse ignobilis, ipsa vero nobilis (at d. disp. 7. probavi) existentibus ergo his causis veris error in virginitate non vitiat donationem, & sic credo idem esse, licet in instrumento dotationis diceretur, *por se yo viejo, y vos doncella*: nam verba apposita in contractu, quando aliud non exprimitur, intelliguntur secundum juris dispositionem, *l. Quæro, 46. §. Inter locatorem: ff. locati*, ibi, *quamvis nil expressum sit in stipulatione, tamen verisimile est ita convenisse.* Et late *Alciatus de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 32.* & sic illa verba, *por ser vos doncella*, in dubio intelliguntur, idest, juvencula, vulgo *moça*: nam secundum jus non est causa dotandi sponsam, esse virginem, sed esse disparem ætate: quare si ipsa quoque vetula esset & virgo, dotari minime posset a viro. Et confirm. quia nemo censetur viam eligere, qua sua dispositio subvertatur, ubi de expressa ejus intentione, & verbis non constat, *l. 3. ff. de limit. testam.* at si apponeretur causa, eam esse virginem, non valeret dotis constitutio: ergo in dubio non debent accipi in eo sensu verba. Minus etiam approbo id quod dicit *Manuel n. 3. fine allegatus*, nimirum, censeri, virum hanc dotem remittere sponsæ obligatæ ad restituendum, si consens defectus virginitatis vitam conjugalem cum ea agat. Nam coactus necessitate eam vitam agit, fornicatio enim præcedens jus divortii minime concedit, in necessitatibus autem nemo liberalis existit, *l. Donari, ff. de reg. jur.* ergo vita illa conjugalis non est conjectura novæ donationis.

6 Ad arg. proposita n. 3. respondetur. Ad 1. die, eam clausulam ex errore, & imperitia tabellionum apponi: ut probavi n. 4. Præterea, verba communiter apponi solita ex tabellionum usu, nihil operantur: cum magis ex stylo ipsorum, quam ex voluntate partium censeantur apposita. Ut optime *Tiraq. multis citatis, l. Si unquam, in pref. n. 126. C. de rev. don. Ant. Gom. 2. tau. c. 4. n. 22. vers. Unum tamen est, Gut. auth. Sacramenta puberum, n. 101. C. Si adv. vend.* & multos alios refert *Cov. rubr. de test. 2. p. n. 14.* quamvis multos in contrarium referat: *& ipse Cov.* fatetur nil operari hujusmodi verba, in eo eventu in quo actum gestum immutarent. Quod hic contingit, jure enim attento arrhæ non dantur in præmium virginitatis. Ad confirmationem constat ex dictis n. 4. non enim est error circa causam finalem donationis, & ita minime voluntate privat. Ad 2. dic, *l. Res uxoris, C. de don. inter vir. & ux.* & DD. asserentes arrhas, & cætera uxori donata censeri in præmium pudicitiæ donari, non intelligi, eo quod illa virgo, seu pudica esset: sed quia pudicitiam suam viro prostituit, pudoremque patitur tradens corpus viro. Et ita explicat *Baeza de non melior. fil. c. 5. n. 19.* ubi dicit arrhas dari in præmium pudicitiæ, quam viro uxor prostituit.

7 Quæstio II. An culpam admittat femina mediis aliquibus alias licitis utens, ut virginitatis defectum tegat, & tanquam virgo nubat? Et idem de parentibus, aliisque intercessoribus conscijs ejus defectus, & copulantibus eam tanquam virginem matrimonio. Videtur enim culpa lethalis. Quia mat. est quædam instar venditionis species, ubi vir est quasi emptor, & mulier venditrix, teste *Tiraq. de retract. convent. ad fi. tituli, n. 70. & l. 4. comub. n. 5.* at venditor lege justitiæ tenetur vitia rei venditæ saltem latentia indicare emptori; ut cum *D. Th. 2. 2. q. 77. a. 3.* docent omnes. Imo & vitia manifesta, quando emptor ignorantia inculpabili laborat. Ut bene docet *Navar. l. 3. de restit. c. 2. d. 7. in nova edit. 46.* quod in hoc casu frequenter contingit: ergo peccat lethaliter contra justitiam sponsa, quæ ut virgo nubit, celans illud vitium, & intercessores in tali matr. 2. Quia non tantum mendacium est in verbis, dum aliquis verbis aliud quam sentiat, significat, sed etiam in factis, cum per signa factorum vel rerum aliquid contrarium veritati significat. Ut optime explicat *D. Th. 2. 2. q. 111. a. 1. corp.* sed hæc mulier utens mediis ne vir percipiat defectum, significat factis & signis se esse virginem, cum tamen non sit: ergo mentitur: & cum sit deceptio in re notabili, merito ac jure optimo sic existimata, erit mendacium graviter perniciosum, & proinde culpa lethalis. Nec obstat, si dicas

dicas neminem teneri se prodere. Id enim verum est, quando coactus & circa suam voluntatem constituit se in aliquo statu: at in hoc casu voluntate sua eligit femina illa nubere. Quare tenetur vel ab eo matr. abstinere, vel vitium suum patefacere, quo vitetur alterius deceptio. Hanc quæstionem a nemine vidi tactam, nisi a solo *Nav. c. Inter verba, in 2. edit. conclus. 1. corollar. 16. n. 60.* ubi breviter dicit, si credatur fore ut vir non valde ægre ferat, nec sit initiatus minoribus ordinibus, qui velit privilegio clericali gaudere, puellam hanc defectum celantem non peccare saltem lethaliter. Quia nulli sequitur damnum notabile. Si autem vir initiatus sit ordinibus minoribus, volens privilegio clericali frui, vel probabiliter credatur ubi defectum perceperit vir, fore ut ægerrime ferat, ipsamque interficiat, aut ea relicta ad Indos proficiscatur, aut asperrime tractet, vitamque discordiis plenam agat: tutius ait esse, ut ipsi non nubat nisi patefacto defectu, nec se audere oppositum consulere: propter ea quæ dixi *corollario 14.* in quo nihil ad hanc rem conferens dicit. Et videtur favere huic sententiæ *Sotus 4. d. 39. qu. 2. art. 3. post 3. conclus. vers. His nihilominus*, ubi ait maximam injuriam irrogare feminam corruptam decipientem virum in hoc. Sed non facit ad rem: quia loquitur casu quo expressa fuit condirio, Si es virgo.

8 Conclusio sit: Puella hanc defectum, & alios celans non peccat contra justitiam, licet aliquibus mediis utatur ut is defectus minime percipiatur. Probatur a simili, ex doctrina *Cov. reg. Peccatum 2. p. §. 4. n. 6.* communiter recepta, ubi quamvis juxta verjorem sententiam certus de lucro non possit spondere, quia esset fraus, ac inæqualitas spondentium, fatetur in ludo certum de victoria posse augere sponsionem, ob naturales ludi leges quæ consensu utriusque ludentis has conditiones admiserunt. Sed similiter in nostro casu usus communis contrahentium assensu receptus est, ne contrahentes vel mediatores detegant propria vitia, vel eorum quorum mediatores sunt. Quod vulgare proverbium testatur, *ne ay casamiento pobre, ni noquia fea*: sed altero contrahenti incumbit ut aliunde certior fiat: jam enim novit, vel nosse debet, feminam minime detecturam: & æqua est utriusque conditio. Quia nec vir solitus est vitia quæ patitur, manifestare: erga nulla est injustitia. Præterea, quia durum esset, ac onus intolerabile hujusmodi feminas cogere, ut innuptæ maneant. Vix enim audebit aliqua proprium vitium detegere, & eo detecto nulli nisi infimæ sortis viro nubet. Hanc concl. tenire videtur *Nav. relatus n. 7. fin.* totam enim rationem culpæ in eo constituit, quod vir defectus conscius ægre ferat, vel non poterit citra culpam privilegium clericale, quod per bigamiam amisit, allegare: at si ea celatio esset contra justitiam, minime excusaretur femina, quando non esset spes ut vir defectum virginitatis non perciperet.

9 II. Concl. Si verisimile sit fore, ut numquam vir id vitium percipiat, vel eo percepto non valde ægre ferat, nulla est culpa tegere, vel mediis alias licitis ad tegendum uti. Probatur quia nullum damnum incurrit vir, & uti illis mediis non tendit ad virum decipiendum, ut ipsam ducat, cum ante matrim. non sit ad eam accessurus, & accessu experturus an sit virgo: sed ne post matr. initum, quando neutri resilire jam licet, vir defectum virginitatis percipiat, maleque uxorem tractet. Hæc conclus. similiter colligitur ex *Navar. num. 7. si allegato*, qui rationem culpæ in damno proventuro matrito, ex defectus cognitione collocat.

10 III. Concl. Si verisimile sit, maritum habiturum illius defectus notitiam, & ægerrime laturum, vitamque discordiis plenam acturum, ac male tractaturum uxorem, est peccatum lethale contra charitatem, illi nubere eo tacito defectu. Quia datur gravis ansa scandali, multorumque criminum, quæ saltem lex charitatis vitare obligarit. Quare merito *Nav.* dixit se in hoc casu non audere oppositum aliqui consulere.

11 Ad 1. arg. propositum, n. 7. resp. disparem esse rationem in ceteris contractibus: cum in illis non sit communi receptum consensu, ut liceat vitia occulta tegere, imo adversus tegentem datur actio eriam in foro externo. In contractu autem matr. illud est communi usu, & consensu receptum; ut probavi n. 8. Ad 2. dic, si ipsa uteretur illis mediis animo se fingendi virginem, esse mendacium, sed non lethale, nisi in casu expresso, n. 10. si vero non animo fingendi se virginem, sed tantum suum vitium tacendi, & celandi, & ita utendi jure suo, non esse mendacium. Quia tacere & bonis mediis occultare vitium, non est mentiri; ut docet *D. Th. 2. 2. q. 111. art. ad 4.*

DISPUTATIO XXVIII.

Utrum arrhæ possint inito matr. constitui, vel ea sit donatio prohibita inter conjugs, & invalida?

SUMMARIUM.

Refertur opinio negans, posse tunc constitui, num. 1.
Contraria opinio verior, 2.

1 GRegorius Lop. 1. *verb En España, t. 11. p. 4.* dicit hoc esse valde dubium. Quia *l. 1. & 2. t. 2. l. 3. fori*, videntur velle ut datio arrharum, vel saltem promissio matr. præcedat quæ donatio inter conjuges omni jure prohibita est: subditque forte posse inito jam matr. arrhas dari, quando nobilitas: vel ingens dos, vel alia causa induceret ea tunc donandum arrhas, secus quando meram donationem faperent. Idem tenet *Molina tom. 2. de just. tr. 2. disp. 431. § Dubium est num. arrhæ, & §. Simili modo.*

Probabilius autem est, posse constitui ante, vel post initum, 2
& consummatum matr. Prob. ex *l. 1. fin. t. 11. p. 4.* ubi postquam lex dicit donationem propter nuptias apud Hispanos appellari arrhas, subdit ad finem, *las dotes e las donaciones que faze el marido e la muger, e la muger al marido, asi como de suso dixi nos, se pueden fazer antes que el matrimonio sea acabado, e despues.* Et *l. 87. t. 18. p. 3.* ibi, *arras y donaciones fazen los marido a sus mujers, &c. la carta deve ser fecha en esta manera, Ivan Garzia dio en donacion por casamiento a su muger.* At juxta communem usum loquendi maritus, & uxor dicuntur post consummationem matr. 2. Quia donatio arrharum in Hispania successit loco donationis propter nuptias, quæ jure communi erat in usu: ut probavi hoc *l. 6. disp. 1. n. 1.*) sed donatio propter nuptias poterat jure communi fieri constante matr. *l. Cum multæ C. de don. ante nupt.* ergo & arrhæ. 3. Quia donatio remuneratoria non est prohibita inter conjuges (ut probavi hoc *6. l. disp. 6. n. 11.* sed donatio arrharum est remuneratoria in præmium pudicitiæ, vel dotis, vel nobilitatis uxoris (ut dixi disp. præced. n. 1.) ergo valida est facta constante matr. Sic docent *Joan. Lup. rubr. de don. §. 54. nu. 2. & l. 50. Tauri, num. 4.* ubi *Castillo nu. 6. Ant. Gom. num. 12. Montalvus l. 1. t. 2. De las arrhas, l. 3. fori*, ubi *Suar. n. 30. Covar. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 7. n. 12. Baeza de non melior. filiab. cap. 5. n. 12. 18. 19. 20. & 21. Matienzo lib. 5. recop. t. 2. l. 2. gl. 2. n. 2. & rubr. gl. 2. n. 6. Azebedo ea l. 2. nu. 8. Valasçus cons. 4. nu. 4. t. 1. Guttier. 2. pract. q. 43. num. 5. Afora de part. 2. p. q. 44.*

DISPUTATIO XXIX.

In qua quantitate possint arrhæ promitti?

SUMMARIUM.

Non possunt arrhæ decimam bonorum mariti partem excedere in Castella, nec valet renunciatio, num. 1.
Impugnatur opinio asserens non debere excedere octavam dotis sponsæ partem, 2.
Non requirunt insinuationem, licet excedant summam ea indigentem, 3.
Uxor potest constituere arrhas viro, nec possunt excedere decimam bonorum uxoris, 4.
Possunt de bonis præsentibus, & futuris promitti, & uxor poterit eligere tempus quo malit sibi assignari, modo non excedant decimam bonorum quæ vir tunc possidet, 5.
Quando absolute promittuntur, an intelligatur promissio de solis bonis præsentibus, solaque ea attendantur ad taxandum decimam, 6.
Declaratur l. fin. C. quæ res pignori, & l. 5. t. 13. p 5. n. 7.
Quid, si tempore promissionis arrharum vir careat bonis, an intelligatur promissio de bonis futuris, num. 8. Et quid, si pro securitate arrharum obliget bona præsentia, & futura, num. 9. & ibi clausula posita ad executionem contractus, non immutat ejus naturam.
An si promittens arrhas careat hæredibus necessariis, possit decimam dictam excedere, 10.
Ad computandum hanc decimam, attendenda sunt quæ marito debentur, & deducendum est æs alienum, n. 11. Et onera & tributa quæ ex bonis solvuntur, deducenda sunt, 12.
Attendendus est valor officiorum vendibilium mariti, 13.
Si arrhæ excedant decimam, solus excessus vitiatur, nu. 14.
Idem si sponsalitia largitas excedat octavam dotis sponsæ partem, 15.
Quid, si detur fundus arrharum, vel sponsalitia largitatis nomine, excedatque decimam, vel octavam partem, n. 16.
Et ibi explicatur l. Si sponsus, vers. Generaliter tenendum est, ff. de don. inter vir. & ux. quando utile faciat valere inutile, quod ab ipso separari nequit.
An tertius promittens arrhas possit excedere decimam, refertur opinio negans, 17.
Contraria auctoris, n. 18. Et ibi, idem in sponsalitia largitate.
An cum quidam tertius promittit dotem ultra taxam lege præscriptam, vel arrhas, vel sponsalitiam largitatem, vel si fide jubeat, vel pro religioso obligetur, valeat promissio, vel fidejussio, 19.

PRima Concl. sit. In regno Castellæ vir tantum potest decimam bonorum suorum partem pro arrhis promittere uxori. 1
Habetur expresse *l. 1. t. 2. De las arrhas l. 3. fori*: quæ approbatur *l. 50. Tauri, hodie l. 2. t. 2. l. 5. novæ recop. Castellæ*, ubi subditur non posse huic legi renuntiari. Et ratio prohibitionis est, ne mutuo se conjuges amore spolient. Et idem esse decium se jure partitarum, affirmat *Greg. Lop. l. 1. ver. Arrha, t. 11. p. 4. per l. 9. t. 4. p. 5.* Id tamen non dicit: unde *ipsemet Greg. Lop. l. 87. vers. Segun fuero, t. 18. p. 3.* sibi contrarius, dicit hoc non esse de jure partitarum.
Nec audiendus est *Perez additio ad Seguram, l. 1. §. Si vir.* 2
n. 139. ff. de acquir. possess. dicens, non posse arrhas excedere octavam dotis sponsæ partem: per *l. 52. Tauri*. Sed longe a veritate distat. Quia ibi tantum fit sermo de sponsalitia largitate, seu de jocalibus, quæ multum distant ab arrhis. Ut constat ex *l. rubr. 2. lib. 5. recop. Castellæ*, quæ est *de las arras y oras*. Nam copula,